P. RAMI,

DIALECTICÆ LIBRI DUO, AUDOMARI Talæi prælectionibus, illustrati.

AD

CAROLUM LOTHARINGUM Cardinalem.

PARISIIS,
Apud Andream Wechelum, sub Pegaso, in vico Bellovaco: Anno salutis
1560.
Cum privilegio Regis.

PRIVILEGII SENTENTIA.

CAutum eſt authoritate Regia, nequis alius præter Andream Wechelum juratum in alma Pariſiēſi Academia Librarium, P. Rami Dialecticæ libros duos, Audomari Talæi prælectionibus illuſtratos, ad Carolum Lotharingū Cardinalem, ante decēnium ab editione proximum, in hoc Francorum regno imprimat, neve alibi impreſſos vendat: Ac ſi Regii diplomatis ſententia operis initio præfigatur, finive poſtponatur, ut omnibus clarum, notum, indictum habeatur. Secus qui faxit, & libris ipſis, & mille librarum Pariſ. multa pœnas pendito. Datum Rhemis, Regio conſenſu ſubſignatum, D. Villamoro ſupplicum libellorum magiſtro præſente. 3. Id. Jun. 1557.

Coignet.

P. RAMI,

IN DIALECTICAM

PRÆFATIO.

AD

Carolum Lotharingum Cardinalem.

NON IGNORAS (MECOENAS) quemadmodum quondam tempestate vexati nautæ, Deo munus aliquod offerebant, cujus ope sibi viderentur ad portum perducti: Sic enim Virgilius ait duodecimo Æneïdos,

Forté sacer Fauno foliis oleaster amaris
Hic steterat, nautis olim venerabile lignum:
Servati ex undis ubi figere dona solebant
Laurenti divo, & votas suspendere vestes.

Quare si tua singulari benevolentia, Aristotelici judicii fluctibus erepti, tabulam aliquam naufragii nostri tibi nunc offerimus, verendum, credo, mihi non erit, ne magis de præteritis malis cõqueri videar, quám tempestatis hujus cauſ-

ſam teſtificari, & ei gratias agere, per quem ſervatus & liberatus ſim. Fuit veró turbinis hujus cauſſa non inſolita hominum moribus atque ingeniis, quoties res, uſu præſertim longo ac tempore inveteratæ commutantur: At nos adverſus omnes philoſophos, de quibus primo Animadverſionum libro dicetur, contendimus de Dialectícæ præmio, quod tantis ingeniis tantiſque vigiliis obtinuerant, totque ſeculorum velut uſucapione ſuum fecerant. Contẽtionis noſtræ via fuit eadem, quæ philoſophis omnibus propoſita eſſe debuerat, tum principiorum, tum experientiæ. E veteribus philoſophis adhuc unus nobis reſtat Plato, & é cæterorum libris certé tituli ſuperant in Laërtio: atque in Ariſtotelis, id eſt veterũ philoſophorum monimentis ab Ariſtotele collectis, quinque & triginta libri ſunt de argumentorum generibus, deque eorum diſpoſitione ac judicio, quæ vera Dialectica eſt: cujuſmodi ſunt ſeptendecim libri in Organo logico, præter Porphyriũ, quatuor in Rhetoricis, quatuordecim in Philoſophia, multique præterea varié diſperſi loci: quibus in libris & locis ſunt præter antiquas inſtitutiones alias, principia de materia & forma artis, ea, quæ dicẽtur á nobis ſecundo libro: quæque cúm philoſophis aliis, tũ Ariſtoteli maximé ſpectata & probata ſunt. Hæc ratio univerſalis, ſumma eſt ſyllogiſmi noſtri propoſitio, de ſequendis aut rejiciendis in Logica regulis: Aſſumptio autem multó difficilior eſt: Etenim ad illam principiorum

piorum legem, eligere de tot libris, quæ bona insint, quæ desint, observare per seipsum lectione poëtarum, oratorum, philosophorum, omniumque authorum bene differentium, omniaque electa & observata collocare & disponere: contrariam autem materiam formamque (licet in summi nominis authoribus, totque seculorũ approbatione penè consecratis) liberè tamen accusare & severè damnare, cúm rem laboriosam esse cõfiteor, tũ verò (hei mihi!) Mecœnas, quid aliud mihi fuit, quàm procellosos mari ventos immittere? eorumque philosophorum nepotes irritare, ad avorum ultionem persequendum? Atque hac animorum commotione mirandum in modum vexatus sum ab hominibus non solúm authoritate & dignitate magnis, sed etiam scientia doctrinaque præstantibus: & inconstantiæ nomine ab iis diutiús & pertinaciús accusatus sum: neq; ut illis videbatur, injuria: Etenim quot annos eandem subinde incudem varié tundimus? Quoties usu moniti corrigimus non solúm aliorum scripta, sed é nostris permulta? Quoties ad hanc perfectam principiorum ideam, accuratius atq; absolutius operis exemplũ requirimus? Ecce autem cúm de Græcis & Latinis scholis egressus, cupio ad exemplum & imitationem industriorũ discipulorum, meæ diligentiæ rationem reddere patriæ, in qua natus & educatus sum, eique vernacula lingua & notitia fructum studii mei declarare, percipio multa his principiis repugnãtia,

quæ tot diſputationibus in ſchola percipere non potueram. Quare magnam partem amputo tolloque eorum, quæ antea collegeram: Deniq; nõ deſiſto per meipſum premere non ſolúm in annum nonũ (ut veré Horatius admonet) imó feré in viceſimum: neque deſino propalám poſitis tabulis (ut Apelles etiam multó veriús admonet) excipere, imó ſurripere judiciũ doctorum & indoctorum, amicorum & inimicorum, dum cõſidero ſtudioſé & obſervo, quid ab illis laudetur aut reprehendatur. Ac licet fortaſſe cura diligentiaq; cæteris omnibus ſatisfaciam: attamen cúm multis locis á ſcopo longiſſimé abeſſe me ſentio, mihi ipſi non ſatisfacio: ſed ignaviæ me condemno, qui tot annos tam ignaviter conſumpſerim: Quapropter hoc pudore commotus enitor magis ac magis, veliſq; ac remis (ut ajunt) ad perfectionem operis aſpiro, cujus perficiẽdi gratia tot fabros atq; adeó architectos, duo minimúm annorũ millia intelligimus occupatos fuiſſe: quod appellant in me graves illi & magni viri, levitatem & incõſtantiam mirabilem: Verúm hæc inconſtantia, pro magna cõſtantia laudatur & celebratur non ſolúm ab Horatio & Apelle, ſed á philoſophis, ac maximé omnium ab Ariſtotele: á quo docemur, philoſophi proprium eſſe, veritatis cauſſa non aliorum ſolúm, ſed ſuam etiam ſentẽtiam reprehendere: Imó veró hæc cõſtantia apud hos reprehenſores inconſtantiæ rea á Deo & natura ſtatuitur, tanquam aſcenſus quidam difficilis

lis ac lubricus, cujus gradibus iter unicũ ad perceptionem ſcientiæ & doctrinæ dirigatur: Quãobrem non ſolũm me contra reprehẽſiones iſtas reficio ac recreo, ſed etiam ſpero hac philoſophica perſeverantia, novam quandam victoriam, nulli injuriæ reſiſtendo, omniaque patienter perferẽdo. Fuerimus igitur (ut ab hac cauſſa tempeſtatis ad gratiam tibi debitam tranſeamus) omnibus ventis ac tempeſtatibus Ariſtotelici judicii huc & illuc diſjecti: liceat tamen temporis illius obliviſci: liceat etiam nobis hanc in partem ſic errare, ut exiſtimemus in hoc diſcrimen, tãquam aliquod certamen, excitandi atq; exercẽdi ingenii gratia nos incidiſſe: ac iam potiús conſideremus de tua ſingulari clemẽtia, qua ſumus in priſtinam libertatem reſtituti: ſed præcipuè de ſumma liberalitate, qua Regiæ profeſſionis dignitatem optatiſſimã huic laborioſæ vitæ (cui me dedidi) & chariſſimam conſecuti ſumus. Atque ut beneficii tui lætitia & gratulatio ex intimo penitús animo promatur, non ſolúm carmen á Lyrico poëta, ſed lyram ipſam jam nunc aſſumamus:

Mecœnas atavis edite regibus, *Hor. 1.*
O & præſidium & dulce decus meum! *Carm.*

Perge iſta tua virtute frui, afflictos excitare, miſeros conſolari, oppreſſos liberare periculis, ſupplicibus ſalutarem illam dexteram porrigere: Charum, mihi crede, eſſe principem, bene de ſuis civibus mereri, diligi, coli, glorioſum eſt: qui verò metui, quám amari, quique potentiã, quám

æquitatem ſuam prædicari malunt, hi verum iter gloriæ prorſus ignorãt. Laudes tuæ partibus omnibus ſunt eximiæ: ſplendor nobiliſſimi generis orti primúm á ſummo Imperatore Carolo Magno, deinde per ſe relucentis coronis Auſtraſiæ, Arragoniæ, Siciliæ, Hieroſolymæ: dona naturæ atque ingenii prorſus admiranda, cogitatio rerũ ſingularis, judicium peracre, memoria ſumma, plurimæ literæ divinæ & humanæ magnis ſtudiis acquiſitæ, unde tibi formata eſt dicendi facultas eximia: denique opes ſummæ ſucceſſerunt. At hæ laudes generis, naturæ, eruditionis, fortunæ quamvis pleriſque ſint admirabiles: attamen nõnunquam magis graves ſunt & odioſæ, quám illuſtres & glorioſæ: Verúm manſuetudinis, benevolentiæ, charitatis, beneficẽtiæ gradibus, homines in cœlum mihi videntur aſcẽdere. Quamobrem (Mecœnas) quoties vota pro tua dignitate atque amplitudine faciam, toties exoptabo ut maximis & plurimis in univerſum genus humanum meritis ſempiternam apud Deum atq; homines gratiam conſequare, ejuſque veri ſolidique honoris ergo, tibi in hac tabula Dialecticam teſtem tui erga me beneficii nuncupabo, ſuſpenſumque pro naufragio donarium reponam.

P. RAMI

PETRI RAMI DIALECTICÆ

LIBER PRIMVS.

DIALECTICÆ DEFINITIO

DIALECTICA, eſt ars bene diſſerendi.

Dialectica] Studium noſtrum in hac quã inſtituimus, dialectica commentatione, duplex erit: Unum non ſolúm præcepta ejus artis, ſed etiã præceptorũ exempla planiús & uberiús interpretandi: Alterum hæc eadem cum libris Organi logici, qui Ariſtoteli tribuuntur comparandi. Nam & facilis interpretatio lucem aliquam Dialecticæ afferet, & perpetua comparatio declarabit hanc Dialecticam ad Ariſtotelis leges deſcriptam eſſe: cúm perſpicietur nullum præceptũ eſſe niſi catholicum, id eſt κατὰ παντὸς, καθ' αὑτὸ, καθ' ὅλου πρῶτον, de omni, per ſe, univerſaliter primum: quod natura prius ſit, loco & ordine præcedere, quod poſterius, ſequi; in Organo autem Ariſtotelis logico longé ſecus eſſe. Principió igitur generalis Dialecticæ definitio ponitur, quæ omnia deinde conſequentia complectitur, & definitur, Ars bene diſſe-

rendi.

rendi, id est disputandi, discernendi, ratiocinandi, ratione denique utendi: Sic enim definire decet ἐκ τῆς εὐπραξίας, ex bona & perfecta actione, summo quippe fine virtutum omnium, non solúm in actione externa, sed intima animi cõtemplatione positarum, ut docetur tertio capite octavi Politici. τέλος δὲ ἡ ἐνέργεια, καὶ πάντες χάριν ἡ δύναμις λαμβάνεται, Finis siquidē est actio, & hujus gratia facultas adhibetur, ut octavo capite noni Philosophiæ. Sic Grammatica bene loquendi, Rhetorica bene dicendi ars definitur, é prima nempe & summa actione: Bene itaque disserere, fuerit logicæ facultatis vires adhibere earumque quoad fieri poterit, nihil omittere: & finis erit Dialecticæ, bene disserere, de quo plura leges secūdo Animadversionum Aristotelicarum. Dialectica igitur, est ars bene disserendi, qua qui sit præditus & exercitatus, bene ratiocinari & quidvis ratione expedire possit: Quoties enim ratione utimur, toties dialectico munere fungimur: nec tantúm ad scholasticas cõcertationes hæc disserendi ratio pertinet, ut quidam putant, sed tam laté patet, quám vis humanæ rationis: Atque ut Grammatica circa puritatem sermonis, Rhetorica circa ornatum versatur, sic Dialectica communis rebus omnibus ratione tractandis, id est inveniendis & judicandis, prudentia quædam est, qua omnes artes inventæ, & descriptæ sunt: Quæ cúm disserunt, non sua quadam & propria, sed communi Dialecticorum facultate disserunt: Dialectica enim generales ratiocinandi, id est inveniendi & judicandi leges tradit, quibus reliquæ artes communiter utuntur, ut nõ potiús Grammaticus & Rhetor & Arithmeticus & reliquarum artium & facultatum homines ratiocinẽtur, quám Dialecticus Grammaticus, Dialecticus Rhetor, Dialecticus Arithmeticus, Dialecticus Geometra: Et quanquam reliquarum artium præcepta á Dialecticæ præceptis separãtur: usus tamen aliarum artium Dialecticæ usu carere non potest: Hæc igitur Dialecticæ definitio statuatur, quia omni Dialecticæ & per se & generaliter primúm convenit

venit: Et primo omniũ loco ſtatuatur, quia natura prima eſt & clariſſima, & omnes Dialecticæ partes cõplexa. Dialectica verò ἀπὸ τοῦ λόγου, á ratione derivatur: & διαλέγεσθαι omnino idem, quod ratione uti: de quo Socrates in Alcibiade primo: τὸ δὲ διαλέγεσθαι καὶ τῷ λόγῳ χρῆσθαι πῶς οὐ καλεῖς; ΑΛΚΙΒ. πάνυ μὲν. Diſſerere & ratione uti, nunquid idem vocas? Alcib. Sané quidem: Diſſerere, diſputare, diſceptare, Latinis frequẽtius eſt quám ratiocinari: tametſi ratiocinari propriús etymologiam Græci nominis exprimit: Et diſputatrix ac diſceptatrix potiús, quám ratiocinatrix Dialectica dicitur, ut Quintilianus lib. 2. cap. 23. Etiam, ait, diſputatrix virtus erit; Et cap. 2. lib. 12. Ita hæc pars Dialecticæ, ſive illam diſputatricem malumus. Item Cicero in Lucullo: Dialecticam inventam eſſe dicitis veri & falſi quaſi diſceptatricem. At licet latinæ elegantiores, attamen metaphoræ ſunt ab origine Dialecticæ remotiores, ut jam dictũ eſt. Logica etiam idem ſignificans á nomine λόγος derivatur, adeoque Porphyrio in communione generis & differentiæ, λογικὸν, καὶ λόγῳ χρώμενον, & ratione utens idem eſt. Ergo Dialecticæ & Logicæ vocabula generalia ſunt, de quorum ſpeciali ſignificatione, adeoque errore, qui invaluit in ſcholis, vide ſecundum Ariſtotelicarum Animadverſionum. Solet etiam quæri qua de re Dialectica diſputet: de omni re, dices: & quamobrem tamen de nulla re ſpeciatim ſit in Logica præcipiẽdum, videbis ibidem. Atque ſi requiris unde ars Dialectica ſumi debeat, utrúm é ſecta & opinione philoſophi hujus an illius, reſpondeo ex eodem fonte hauriendam eſſe, unde philoſophi omnes, quicunque rectè philoſophati ſunt, haurire debuerunt, naturali nempe rationis uſu, qui in exemplis magnorum & excellentium philoſophorum, oratorum, omnis deniq; generis hominum cernitur. In uno nõ omnis generis exempla fortaſſe reperientur: obſervatione igitur variorum & animadverſione, adeoque inductione, tota res exploranda & probanda: Naturalis enim Dialectica, vis eſt rationis, men-

tibus noſtris inſita, per quam diſputamus & ratiocinamur, per quã movemur & excitamur ad inquiſitionem & inveſtigationem rerum: per quam, ut per ſolem mũdus, ſic animus partibus omnibus illuminatur: per quã multis ſeculis antequam ulla de diſſerendo liteta eſſet, innumerabiles homines prudẽter & acuté diſputarunt, diſſeruerunt, & ratiocinati ſunt. In deſcribendis igitur dialecticis præceptis, propoſita nobis erit naturalis bene diſſerentium conſuetudo, ut artem accommodatam naturæ faciamus: ut tam laté pateat per poëtas, oratores, hiſtoricos, philoſophos, legumlatores, ſcriptores artium & doctores, quám vis illa & facultas humanæ rationis. Naturalis igitur propenſionis fines, quouſque humanæ rationis uſu dilatari poſſint & augeri, hactenus ars Logica ἀιαθήσεως, ἐπαγωγῆς, ἱστορίας, ἐμπειρίας, ſenſus, inductionis, obſervationis, experientiæ (unde omnes artium præceptiones ortæ ſunt, ut Ariſtoteles veriſſimé docet triceſimo primi Priorum, & in Poſterioribus decimo quarto primi & decimo octavo ſecundi) oculis intuetur, & legitimis præceptis interpretatur. Nec aliud hic ars eſt, quám naturæ imago & pictura: ut arte deſcribenda, nil niſi perfecta natura deſcribatur: Eſt itaq; in hac facultate non ſolúm pars prima, ſed cúm perfecta ſit uſu propoſita & ſubjecta veritas, quam ars præceptis imitetur, hoc tamẽ intereſt, quód aliis in artibus natura & materia diverſæ res ſunt: ut in Medicina, natura, eſt ingenium Medici: materia verò, eſt ſanitas, morbi medicamentum, & cætera, quæ præceptis continentur. Contrá verò in Dialectica, eadem res eſt natura & materia, quam ars interpretatur: naturalis ſcilicet rationis virtus, & impetus mentis ad diſſerendum.

INVENTIO ET EJUS PARTES.

Dialecticæ partes duæ ſunt, Inventio & Diſpoſitio.

Inventio

Inventio est pars Dialecticæ, quæ argumentum & argumenti partes explicat.

Argumentum est quod aliquid arguit: Argumentum igitur est artificiale aut inartificiale: artificiale, quod ex sese fidem facit, est primum vel á primo ortum: primum, simplex est nec aliunde ortum, & quatuor species habet, causſas & effecta, subjecta & adjuncta, opposita, comparata. Causſa, unde effectus aliquis exiſtit, ut finis, forma, efficiens, materia.

Dialecticæ partitio] Dialecticæ artis partitio, cum partitione naturalis usus congruit: primúm rationes & argumenta quærimus, deinde certa via & ratione disponimus ad judicandum: tertium munus rationis in disserendo præterea nullum est: unde constat duas hujus doctrinæ partes esse, inventionem & dispositionem, seu judicium: quarum usus licet in disserendo coniunctus sit, præcepta tamen de argumentis, propositionibus, syllogismis & methodo separanda sunt: ut in Grammatica arte seorsum de vocabulis & eorum syntaxi præcipitur, quanvis earum rerum usus in eadem oratione confusus & permistus sit. Atque ut Grammatica duas tantúm partes sibi vendicat, Etymologiam in singulis verbis, & Syntaxim in apta & legitima verborum constructione, sic inventio, prima pars Dialecticæ, simplicium rationum naturam considerat: dispositio autem pars altera, accommodationem earum & collocationem in enunciatione, syllogismo, & methodo. Partes veró Dialecticæ, nominibus inventionis & dispositionis seu judicii appellantur in hac arte tritis & usitatis, non quód inventio nõ habeat aliquid judicii, cúm per regulas divisionis & definitionis docet judicare, quæ vera & legitima sit definitio & divisio: per regulas contrariorum, quæ sint veré contraria & quæ non: itemque de causſis, factis, subjectis, adjunctis, comparatis, testimoniis, judi-

cium eſt: nec quód judicium ſit expers inventionis, quia docet invenire genera enuntiatorum, ſyllogiſmorum, & methodi ad æſtimandam & demonſtrãdam rem propoſitam: ſed á majore facultate appellationes diſtinctæ ſunt, quód illic plus invẽtionis ſit, hic plus judicii. Dialecticæ diviſio in inventionem & diſpoſitionem approbari poteſt veterum teſtimoniis, Platonis, Ariſtotelis, Ciceronis, & Quintiliani. Socrates in Phędro dum examinat orationem Lyſiæ, in hanc bipartitam diviſionem incidit: καὶ τῶν μὲν τοιούτων, οὐ τὴν εὕρεσιν, ἀλλὰ τὴν διάθεσιν ἐπαινετέον· τῶν δὲ μὴ ἀναγκαίων τὰ καὶ χαλεπῶν εὑρεῖν πρὸς τῇ διαθέσει, καὶ τὴν εὕρεσιν. Atque ejuſmodi rerum non inventio, ſed diſpoſitio laudanda eſt: neceſſariarum verò & inventu difficilium non ſolúm diſpoſitio, ſed invẽtio laudanda eſt: deinceps Socrates definitionem & diviſionem, quæ ſunt membra invẽtionis, & univerſæ diſputationis collocationem non ſolúm effert laudibus, ſed ejuſmodi facultatem Rhetoricæ detrahens, Dialecticæ totam eſſe cõfirmat: & eos qui id rectè facere & præſtare poſſunt, Dialecticos appellat. Eodem tendit Ariſtoteles, cujus verba ſunt primi libri priorũ Analyticorum capite triceſimo tertio: εἰ γὰρ τὴν χρῆσιν τῶν συλλογισμῶν θεωροῖμεν, καὶ τοῦ εὑρίσκειν ἔχοιμεν δύναμιν· ἔτι δὲ τοὺς γεγενημένους ἀναλύοιμεν εἰς τὰ προῃρημένα σχήματα, τέλος ἂν ἔχοι ἡ ἐξ ἀρχῆς ὑπόθεσις. Nam ſi compoſitionem ſyllogiſmorum inſpexerimus, & habeamus inveniendi facultatem: tum verò compoſitos in propoſitas formas retexamus, propoſita primúm hypotheſis ad finem pervenerit. Et octavi Topici capite primo: δεῖ δὲ πρῶτον μὲν ἐρωτᾶν μέλλοντα, τὸν τόπον εὑρεῖν, ὅθεν ἐπιχειρητέον· εἶτα ἐρωτηματίσαι καὶ τάξαι καθ' ἑαυτόν· τὸ δὲ λοιπὸν καὶ τρίτον, εἶπεῖν ἤδη ταῦτα πρὸς ἕτερον. Neceſſe verò eſt imprimis eum qui ſit interrogaturus, locum perſpexiſſe, unde argumentetur: ſecundó autem interrogare & ordinare apud ſeipſum ſingula: reliquũ ac tertium, hæc apud alterum jam eloqui. Idemque in Rhetoricis ad Theodectem capite primo libri tertii: πρία γάρ ἐ δεῖ πραγματευθῆναι πρὸς τὸν λόγον,

λόγον, οὗ μὴν ἐκ τίνων αἱ πίστεις ἔσονται· δεύτερον δὲ πρὸς τὴν λέξιν· τρίτον δὲ, πῶς δεῖ τάξαι τὰ μέρη τοῦ λόγου. Tria ſunt in oratione cõſideranda, unum quidem unde probationes ducantur: ſecũdum verſatur in elocutione: tertium, quomodo partes orationis ſint collocandæ. Atque eodem capite ait de his partibus duas ſolas ad docendum neceſſarias eſſe, πίστιν καὶ τάξιν, probationem & collocationem: elocutionem verò & ejus comitem actionem, διὰ τὴν τοῦ ἀκροατοῦ μοχθηρίαν, id eſt propter auditoris improbitatem, acceſſiſe. Sic in Topicis Cicero, Cúm omnis diligens diſſerendi ratio duas habeat partes, unam inveniendi, alteram judicandi, utriuſque princeps (ut mihi quidem videtur) Ariſtoteles fuit. Sic & Quintilianus 5. lib. de Dialecticis, Qui ſibi (ait) & inveniendi & judicandi vendicent partes, quarum alteram τοπικὴν, alteram κριτικὴν vocant. Quare authorum iſtorum teſtimoniis Inventio & Diſpoſitio, Dialecticæ partes erunt. *Inventio*] Definitur Inventio é ſubjectis rebus, quas interpretatur. *Argumentum*] Generalis eſt argumẽti definitio: Argumentum autem id eſt in Logica, quod vocabulum in Grammatica, ſimplex videlicet ratio, nam vocabula ſunt ſymbola categorematum, ut Ariſtoteles capite primo libri primi de Interpretatione veriſſimé docet: utque é nominibus & verbis fit oratio, ſic ex argumentis per nomina & verba ſignificatis efficitur enunciatio. Itaque argumentum non eſt tantummodo in argumentatione intelligendum, ut vulgó in ſcholis intelligitur, cúm enunciatio dubia concluditur per aliquid tertium, ſed omnis ſententiæ partes, argumenta appellantur: ut cúm dico, Homo eſt animal: hic duo categoremata duo argumẽta ſunt, ſpecies & genus. Quia multis nominibus & Græcé & Latiné argumentum nũcupatur, ne quis temeré erret, hæc auditori explicanda ſunt: Argumentum igitur Græcé dicitur κατηγόρημα & & ἀρχὴ & στοιχεῖον & μέσον & ὅρος & λόγος & πίστις· Latiné attributum vel categorema, unde κατηγορία, doctrina categorematum apud Ariſtotelem, cujus præceptum

quoque dicitur τόπος, id est locus per metaphoram, quód certis præceptis, tanquam locis, commonstret unde argumenta petenda sint: Inventio enim genera argumẽti maximé generalia describit, quorũ admonitione excitamur ad inquirendum, quod de re proposita dici possit: nec tamen hæc doctrina argumentum protinús ad disputandum suppeditat, sed tantúm argumenti reperiendi quandam commonitionem: Appellatur etiam Latiné principium, quód sit in Dialectica primum, unde postea enunciationes & syllogismi existant: & elementum, quód sit simplicissimum & minimum: & medium in Analyticis, quód velut intermedium disponatur cum partibus quæstionis in syllogismo ad concludendum quod volumus: itemque terminus, quód propositionem terminet: nam cúm dico, Homo est animal, homo & animal, sunt termini propositionis, & argumenta duo, species & genus: Item ratio dicitur, quód sit sententia mentis: & probatio, seu fides, quia facit ut rei credamus & assentiamur: postremó etiam argumentum, quia rem arguit & demonstrat: sed ratio, probatio, argumentum, vocabula sunt nota magis & usitata, ideoque ad docendum artem inventionis magis apta & idonea.

Argumentum igitur] Hactenus argumentum definitum est, deinceps dividitur ex adjunctis circunstantiis in artificiale & inartificiale: quam partitionem licet paulò aliter interpretetur Aristoteles, primus ostendisse creditur libri primi Rhetoricorum ad Theodectem capite secundo: τῶν δὲ πίστεων αἱ μὲν ἄτεχνοί εἰσιν, αἱ δὲ ἔντεχνοι· ἄτεχνα δὲ λέγω, ὅσα μὴ διὰ ἡμῶν πεπόρισται, ἀλλὰ πρόυπηρξεν, οἷον μάρτυρες, βάσανοι, συγγραφαί· ἔντεχνα δὲ, ὅσα διὰ τῆς μεθόδου καὶ δι' ἡμῶν κατασκευασθῆναι δυνατόν· Probationum aliæ sunt inartificiales, aliæ artificiales. Inartificiales dico, quæ á nobis minimé exhibentur, sed in causa priús extiterunt: ut testes, tormenta, scripta: Artificiales, quæ per artem & nos ipsos comparari possunt: quam Aristotelis authoritatem Cicero & Quintilianus secuti sunt, usitatã magis, quám ab illis penitús cognitam: Omnium enim

enim argumentorum ſui loci ſunt in arte. Artificiale igitur definimus, quod per ſe & ſua natura fidem facit: nam ex cauſſa, facto, ſubjecto & reliquis artificialibus per ſe, credimus: inartificialibus autem, id eſt teſtimoniis, non credimus, niſi ratione cauſſæ, facti, ſubjecti, & aliorum artificialium. Veteres pauló ſecús definiunt, ſed res eodem tendit. *Artificiale*] Artificiale dividitur in primum, & á primo ortum: quomodo Grammatici partiuntur nomina in primitiva & derivativa: Eſt enim cauſſarum, effectorum, ſubjectorum, adjunctorum, oppoſitorum, comparatorum, Dialectica conſideratio prima & ex his tanquam primis fontibus nominis, definitionis & diviſionis conſideratio & doctrina derivãtur, ut poſtea planiús intelligetur. *Primum*] Primum definitur & dividitur: definitur argumentum primum, nec aliunde ortum, id eſt cujus conſideratio prima eſt, nec ex ſequentibus dependet: nam doctrina quidem cauſſarum, poteſt intelligi ſine doctrina definitionis: doctrina verò definitionis depẽdet ex doctrina cauſſarum & aliorum primorum argumẽtorum. Dividitur argumentum primum in quatuor ſpecies, quo loco, duæ ſpecies loco unius generis ponuntur, ut cauſſæ & effecta, ſubjecta & adjuncta, quod ſæpe fit apud Ariſtotelem: ut in Categoria qualitatis, habitus & diſpoſitio, duæ ſunt ſpecies pro uno genere, cui nomẽ nõ eſt impoſitum: itemque potentia & impotentia. Quod ad ordinem argumentorum pertinet, ea præcedunt in docendo, quorum cognitio natura prior eſt, ratione conſequentium & ſeipſa contenta: ea verò ſequuntur, quæ natura poſteriora ſunt, & quæ ex antecedẽtibus quodammodo naſcuntur, & intelligentiæ ſuæ lucem capiunt, ut ex Ariſtotele ſuprá dictum eſt, & ſecundo libro docebitur pleniús. In omni autem rerum cogitatione & conſideratione primúm cauſſæ occurrunt: tum effecta his reſpondent: & reliqua deinceps eo ordine, qui maximé naturalis & idoneus viſus eſt, explicantur. Cúm igitur cauſſæ dialecticarum probationum principes & primæ ſint, ab his

jure principium hujus doctrinæ ducitur. Nec verò ſequitur, ſi in longioris diſputationis artificioſa collocatione & methodo, á definitione rei, de qua agitur, ordiendum ſit, ut in doctrina argumentorum, doctrina definitionis præcedere debeat: Definitio enim, ſi perfecta ſit, oritur ex cauſſis, ſecus é factis, ſubjectis & adjunctis, oppoſitis & comparatis: nec quiſquam definitione utitur, qui non utatur cauſſis, aut cæteris primis argumentis: At contrá, primis argumẽtis ſine definitione uti poſſumus, unde conſtat cauſſas natura priores eſſe definitione: Cauſſa igitur ante cætera argumenta doceatur. *Cauſſa, unde*] Cauſſa definitur generaliter, unde effectus aliquis exiſtit: αἰτία καὶ αἴτιον græcé dicitur: Et aliquando generaliter quodvis argumentum, cauſſæ nomine ſignificatur: proprié verò & ſpecialiter hæc probatio. Significatur autem cauſſa frequenter nominibus ἀρχῆς, στοιχείου, φύσεως, οὐσίας · principii, elementi, naturæ, eſſentiæ: Sed duobus poſtremis etiam res tota ſuis cauſſis conſtituta ſignificatur, ut docetur quinto Philoſophiæ: Sed ἀρχῆς καὶ αἰτίου eadem & una ſignificatio eſt, quia ſe invicem conſequuntur, ut eſt ſecundo capite quarti Philoſophiæ. *Ut finis*] Cauſſarum ſpecies ſunt quatuor, finis, forma, efficiens, materia, de qua diviſione vide Ariſtotelem libro ſecundo Phyſicorum.

FINIS.

Finis, eſt cauſſa, cujus gratia aliquid fit. Ideoque dicitur principium non actionis, ſed ratiocinationis: quia ſapientis eſt conſilii & deliberationis ante omnia, finem ſpectare. Juno primo Æneïdos connubii finem aſſumit, cúm Æolo Deïopeiam pollicetur, ſolatii ſcilicet proliſq; gratia:

Sunt mihi bis ſeptem præſtanti corpore nymphæ,
Quarum, quæ forma pulcherrima, Deïopeiam

Connubio

Connubio jungam ſtabili, propriamque dicabo:
Omnes ut tecum meritis pro talibus, annos
Exigat, & pulchra faciat te prole parentem.

Sic in defenſione Ligarii Cicero Tuberonem accuſatorem urget, cúm armorum contra Cæſarem ſuſceptorum finem premit: Et certé contra ipſum Cæſarem eſt congreſſus armatus: Quid enim, Tubero, tuus ille diſtrictus in acie Pharſalica gladius agebat? cujus latus ille mucro petebat? quis ſenſus erat armorū tuorum? quæ tua mens? oculi? manus? ardor animi? quid cupiebas? quid optabas? Cicero tanto dicendi ardore hoc argumentum tractavit, ut Cæſari (quāvis in hac cauſſa, & judici & adverſario) tamen veluti ſtupefacto, & extra ſe poſito, color varié mutatus ſit, & libelli quidam é manibus exciderint, ut Plutarchus in vita Ciceronis author eſt.

Finis] Plato in Timæo & aliis locis ſæpe pro nomine, definitionem ponit, & τὸ οὗ ἕνεκα, id eſt cujus gratia, dicit pro fine. Ariſtoteles capite undecimo ſecundi Poſteriorum ita definit, τὸ τινὸς ἕνεκα, καὶ τὸ οὗ ἕνεκα · alicujus gratia, & cujus gratia: Item tertio capite ſecundi Phyſici, τέλος καὶ τελικὸν αἴτιον, finem & cauſſam, ut Papinianus jureconſultus loquitur, finalem: appellatur etiam πέρας, extremum, decimo tertio capite quinti Philoſophiæ. Finis nomen tranſlatum videtur eſſe á terminis, quibus res clauduntur: ad finem enim cauſſæ reliquæ referuntur, & unaquæque res ſuo fine comprehēditur: Sic beatam vitam philoſophi, finem bonorum appellabant, quó omnia conſilia & rectè facta hominum referri debeant. Ariſtoteles capite nono ſecūdi Phyſicorum de fine ſic ait, ἀρχὴ οὐ τῆς πράξεως, ἀλλὰ τοῦ λογισμοῦ · principium non actionis, ſed ratiocinationis: quia cogitan-

tibus nobis & de re quapiam deliberantibus, primúm finis occurrit, quó cõsilia & actiones referantur. *Juno*] Primo Aeneidos hic locus est, ubi Juno Trojanis in Italiam prosperé navigantibus infensa, Aeolum ventorũ regem adit, oratq; ut Trojanos tẽpestate vexet, & aditu Italiæ prohibeat: vexationis præmium pollicetur Deiopeiam nympham conjugem: donumque ipsum duplici fine conjugii amplificat, solatio vitæ & pulchra prole. *Sunt mihi*] Juno, est aër, de quo nubes creantur: ex nubibus aquæ fiunt, quæ á poëtis nymphæ dicuntur, inquit Servius. *Quid enim Tubero*] Hac interrogatione multa cumulantur, quorum finis premitur, ut hæc argumenti vis sit: Tubero conatus est Cæsarem armis vincere: Ergo contra Cæsarem congressus est armatus. Notanda est in hoc exemplo metonymia quarti modi, qua adjuncta ponuntur pro subjectis, ut gladius & arma, pro eo qui accinctus est gladio, & armatus.

FORMA.

Forma, est caussa, per quam res est id quod est, & á cæteris rebus distinguitur. Sic forma hominis, est anima rationalis: Hæc enim caussa est, cur homo sit homo, & á cæteris rebus differat. Sic rebus naturalibus omnibus sua forma est, ut leoni, equo, arbori, cœlo, terræ: Sic artificiosis rebus, ut domui, navi: sic etiam incorporeis, ut colori, calori, virtuti, vitio sua forma est: Sic denique rebus omnibus est id quod est, sua forma, eaque separatur ab aliis. Sola è caussis forma suo effectui est congenita: itaque si forma sit, formatum quoque est, & contrà: At veró formarum cognitio in unoquoque perdifficilis est homini & perobscura: ac si videantur, tamen sunt sine nomine,

nomine, ut ſua forma manum, annulum, gladium vides: & tamen harum rerum formā unamquamque ſuo nomine appellare non poſſis: imó vix longa circuitione verborum.

Forma] Forma definitur generaliter non quidem phyſica illa tantúm, quæ corporearum rerum & materiatarum ſit: Nam forma logica, rerum omnium communis eſt: eſſentia nempe rei & differentia. Formæ præcipua utilitas eſt duplex, ut eſt decimo quarto capite primi Topici: καὶ πρὸς τὸ γνωρίζειν τί ἕκαστον· & ad cognoſcendum quid eſt unumquodque, & ad rationem ταυτοῦ καὶ ἑτέρου, ejuſdem & diverſi: Priore ratione deſcribitur τὸ τί ἦν εἶναι, quod quid erat eſſe, ut undecimo capite primi Poſteriorum: λόγος τῆς οὐσίας, ratio eſſentiæ, ut primo capite primi de ortu Animalium: οὐσία τοῦ πράγματος, eſſentia rei, ut ſeptimo capite primi Philoſophiæ: λόγος εἰδικὸς καὶ οὐσιώδης, ratio ſpecifica & eſſentialis, ut quarto capite quarti libri Philoſophiæ: εἰδοποιὸς, συμπληρωτικὸς, συστατικός· ſpecifica, completiva, conſtitutiva, ut apud Porphyrium. Appellatur verò etiam μορφὴ καὶ λόγος, forma & ratio perſæpe: interdum etiam εἶδος καὶ παράδειγμα, ſpecies & exemplar, ut ſecundo capite quinti Philoſophiæ: ratione ſecundæ utilitatis deſcribitur á Porphyrio διαιρετικὴ, quia ſpecies generis alias ab aliis dividit & diſtinguit: & appellatur tum proprié διαφορὰ, differentia: Et ſic hoc nomen ὁμοιότητι, ſimilitudini opponitur primi Topici capite undecimo & decimo quarto: & é quatuor inſtrumentis communibus duo fiunt illic ab Ariſtotele, ſimilitudo & differentia. Forma ſola de cauſſis ὁμόγονος eſt, ſimul cum re genita, ut ſcribit Ariſtoteles duodecimo capite ſecundi Poſteriorū: & ſola, λόγος τῆς οὐσίας, ratio eſſentiæ, & rerum naturaliū naturali fini eadem eſt: τὸ μὲν γὰρ τί ἐστιν, καὶ τὸ οὗ ἕνεκα ἓν ἐστι, ut eſt ſeptimo capite ſecūdi Phyſici. *At verò formarum*] Quemadmodum cognitio formarum ſcientiam perfectam & abſolutam efficit, ita homini perdifficilis eſt:

qua de cauſſa Timæus apud Platonem ait perpaucos homines veræ intelligentiæ eſſe participes: Communi quidem ratione & definitione intelligimus eſſe rerum formas: at quid ſingularis & unaquæque forma ſit, ut leonis, equi, arboris, ab hominibus ignoratur: Et ſi cognoſcitur, ut corporis humani, ut navis, vix multis rebus collectis exprimitur. Quapropter veteres Philoſophi hic valde fuerunt occupati. Pythagoras & Pythagorei dixerunt τὰ ὄντα, entia, μιμήσεις καὶ ὁμοιώματα, imitationes & ſimilitudines eſſe numerorum: καὶ ἀριθμὸν, εἶναι πρὼτην ὀυσίαν ἁπάντων, & numerum, eſſe eſſentiam omnium: Plato pauló ſecús docuit, res quidem non eſſe imitationes numerorum, ſed Idearum μεθέξεις, communicationes, ut communicatione multa ſint ſynonyma, Ideis homonyma, ut author eſt Ariſtoteles libro primo Metaphyſicorum. Ad hunc modum, veritatis cognitionem in profundo demerſam velut alto gurgite abſumptam, ab homine cerni non poſſe cenſuit Democritus: cujus ſententiam ex nono libro Laërtii adſcribam: Δημόκριτος δὲ τὰς ποιότητας ἐκβαλὼν, ἵνα φυσὶ, νόμῳ ψυχρὸν, νόμῳ θερμὸν· αἰτίη δὲ, ἄτομα καὶ κενόν· καὶ πάλιν, αἰτίη δὲ οὐδὲν ἴδμεν· ἐν βυθῷ γὰρ ἡ ἀλήθεια. Democritus qualitates ejiciens, ait lege quidpiam frigidum, lege item calidum: cauſſa autem, atomi & vacuum. Et rurſus: Per cauſſam nihil ſcimus, in profundo ſiquidem veritas.

CAUSSA EFFICIENS, PROcreans & conſervans.

Cauſſa efficiens, eſt cauſſa, á qua res fit. Efficiens eſt procreans aut conſervans: Procreans, quæ primó rem efficit: Sic patres & matres liberorum ſuorum cauſſæ ſunt: & hoc argumẽti genere duritia Æneæ quarto Æneïdos exprimitur;

Non tibi diva parens, generis nec Dardanus author,

Perfide,

Perfide, ſed duris genuit te cautibus horrens
Caucaſus, Hyrcanæque admorunt ubera Tigres.

Sic opifices, operum ſuorũ cauſſæ ſunt: Menalcas Ecloga tertia Virgilii hoc modo vaſa ab opifice commendat:

— pocula ponam
Fagina, cælatum divini opus Alcimedontis.

Contrá ſimiliter Damœtas:

Et nobis idem Alcimedon duo pocula fecit.

Efficiens conſervans, quæ rem tuetur: Hoc modo leges ſunt cauſſæ Rerumpublicarum: & Cicero in defenſione Cluentii ſic uſurpavit: Hoc enim (ait) vinculũ eſt hujus dignitatis, qua fruimur in Repub. hoc fundamentum libertatis, hic fons æquitatis: mens & animus & conſilium & ſententia civitatis poſita eſt in legibus. Ut corpora noſtra ſine mente, ſic civitas ſine lege, ſuis partibus ut nervis ac ſanguine, uti non poteſt: Legum miniſtri, magiſtratus: legum interpretes, Judices: Legum denique iccirco omnes ſervi ſumus, ut liberi eſſe poſſimus. Ovidius ſecundo de remedio amoris utrũque cauſſæ genus complexus eſt, cúm ait, otium cauſſam amoris eſſe:

Hæc ut ames, faciunt: hæc, quæ fecere, tuentur:
Hæc ſunt jucundi cauſſa cibuſque mali,
Otia ſi tollas, periere Cupidinis arcus,
Contemptæque jacent & ſine luce faces.

Cauſſa efficiens] Tertium genus cauſſæ generaliter definitur, Cauſſa efficiens, á qua res eſt: non quód nomen efficientis cauſſæ, ejuſmodi præpoſitione ſemper exprimatur: nam & hominem ex homine natum & procrea-

tum dicimus: ſed quód efficientibus cauſſis præpoſitionem á vel ab ſæpiſſimé tribuamus. De hac cauſſa Platonis locus in Philebo his verbis eſt: Σω. Ὅρα γὰρ εἰ σοι δοκεῖ ἀναγκαῖον εἶναι, πάντα τὰ γινόμενα, διὰ τινὼ αἰτίαν γίγνεσθαι. Πρω. Ἔμοιγε, πῶς γὰρ χωρὶς τούτων γίγνοιτο; So. Vide an tibi neceſſarium eſſe videatur, omnia quæ fiunt, per aliquam cauſſam fieri. Pro. Mihi quidem, quomodo enim abſque ea fierent? Sic in Hippia majore. So. Atqui (ait) cauſſa o Hippia, & id cujus cauſſa ipſa cauſſa eſt, nonne aliud eſt? nec enim utique cauſſæ cauſſa fuerit: Sic veró conſidera: Nonne cauſſam, id quod aliquid efficeret, eſſe conſtitit? Hip. conſtitit. So. Ab efficiente veró non aliud fit, quám quod efficitur, non autem efficiens. Cauſſa efficiens ab Ariſtotele definitur tertio capite primi Philoſophiæ, ἀρχὴ κινήσεως, principium motus: & tertio capite ſecundi Phyſici, ἀρχὴ κινήσεως καὶ στάσεως ἢ ἠρεμήσεως· principium motus & ſtatus ſeu quietis: appellaturque αἴτιον, τὸ ποιοῦν καὶ ποιητικὸν καὶ γεννητικὸν ἢ γεννητικόν· cauſſa efficiens & generans. *Non tibi diva*] Cúm Dido AEneam neque religione conjugalis fidei, neque precibus ullis movere ac retinere poſſet, his probris eum inſectatur, ex cauſſis procreátibus inter ſe diſſimiliter cõparatis & amplificatis. *Sic opifices*] Sic Jupiter Olympius ex Phidia ſtatuario: ſic Alexandri imago ex Appelle: ſic comœdiæ Latinæ ex Terẽtio & Plauto: ſic ornata oratio ex Cicerone & Demoſthene: ſic quodvis opus excellens ex ingenio & nobilitate ſui authoris commendatur. *Efficiens conſervans*] Eædem cauſſæ procreantes eſſe & conſervantes poſſunt: & frequenter accidit, ut ab iiſdem cauſſis res efficiatur & conſervetur: ut á parentibus liberi, á magiſtratibus civitates: Ideoque genera hæc cauſſarum, cùm re ipſa ſæpe confuſa ſint, ratione & cogitatione diſtinguẽda ſunt, quód alia ſit procreandi, alia conſervandi ratio: quanvis plerunque eadem procreatrix & cõſervatrix cauſſa ſit ejuſdem rei: ut in Officiis Cicero docet, gloriam in Repub. comparari amore, gratia, favore civium & opinione virtutis,

tutis, eandemque rebus illdem conſervari. *Mens & animus*] Ut enim ratio in homine, ſic lex in civitate jubet quæ facienda ſunt, prohibetque contraria: qualis igitur eſt animus in corpore, talis lex in civitate. *Ut corpora*] Similitudo ad illuſtrationem cauſſarũ Rempub. conſervantium. *Legum miniſtri*] Horum enim intereſt non ſolúm legibus parere, ſed etiam leges jubere & populo imperare. *Legum interpretes*] Nam cúm judicium ſemper aliqua lege cõſtitutum ſit, judex æquus non ſolúm legem in conſilium advocat, ſed ad eam interpretandam, religionem, fidem, æquitatem adhibet, ut ſecundúm ſententiam legis judicet. *Legum denique*] Legibus parendum, ut liberi eſſe poſſimus: nam his ſublatis, vis & oppreſſio dominetur in civitate, neceſſe eſt. *Hæc diviſio*] Primà efficientium partitio poteſt ex Ariſtotele deduci, cúm de principio ita loquatur in Philoſophia, primo capite libri quinti: Ἀρχὴ, ἡ μὲν ὅθεν γίνεται πρῶτον, μὴ ὄντος ἀρχοντος, καὶ ὅθεν πρῶτον ἡ κίνησις πέφυκεν ἄρχεσθαι, καὶ ἡ μεταβολή· οἷον τὸ τέκνον ἐκ τοῦ πατρὸς καὶ τῆς μητρὸς, καὶ ἡ μάχη ἐκ τῆς λοιδορίας· ἡ δὲ οὗ κατὰ προαίρεσιν κινεῖται τὰ κινούμενα, καὶ μεταβάλλει τὰ μεταβάλλοντα. ὥσπερ αἵ τε κατὰ πόλεις ἀρχαὶ καὶ αἱ δυναστεῖαι καὶ αἱ βασιλεῖαι καὶ τυραννίδες. Principium aliud quidem unde fit primum, cúm tamen non inſit, & unde primúm motus ſolet inchoari, & mutatio, ut liberi á patre & matre, & pugna ab injuriis; Aliud verò cujus conſilio moventur ea quæ moventur, & mutantur ea quæ mutantur: ut ſunt civitatum magiſtratus & potentiæ & regna & tyrannides. Ex hoc cauſſarũ loco omnis eſt philoſophorum diſputatio, de conſervando bene moratæ civitatis ſtatu: Hinc nobilis pars Medicinæ de ſanitate tuenda & proſpera valetudine retinenda.

EFFICIENS SOLA AC *cum aliis.*

Atque hæ ſpecies ſunt efficiẽtis cauſſæ: modi quidam

quidam ex adjunctis colliguntur, quód efficiens ſit ſola, aut cum aliis: per ſe aut per accidens. Sola quæ ſine alia cauſſa rem efficit, ut ignis calorem. Efficiens cum aliis eſt princeps aut miniſtra, & adjuvans: ut in navi gubernator gubernationis princeps eſt, nautæ & remiges ſunt miniſtri, & adjuvant. Hos efficiẽtis modos & ſolius & principis & adjuvantis pro M. Marcello Cicero adhibuit, cúm militares Cæſaris laudes cum multis communicat, quia ſit á multis adjutus: eique ſoli totam clementiæ gloriam attribuit, quia ſolus ejus author ſit & effector: Nam bellicas laudes ſolent quidam extenuare verbis, eaſque detrahere ducibus, communicare cum multis, ne propriæ ſint imperatorum. Et certé in armis, militum virtus, locorum opportunitas, ſociorũ auxilia, claſſes, commeatus multúm juvant: maximam veró partem quaſi ſuo jure Fortuna ſibi vendicat: & quicquid eſt proſperé geſtum, id penè omne ducit ſuum. At veró hujus gloriæ, Cæſar, quam es pauló anté adeptus, ſocium habes neminem: totum hoc, quantuncũque (quod certé maximum eſt) totum inquam, eſt tuum: nihil tibi ex iſta laude centurio, nihil præfectus, nihil cohors, nihil turma decerpit: quinetiam illa ipſa rerum humanarum domina Fortuna, in iſtius ſe ſocietatẽ gloriæ non offert: tibi cedit, tuam eſſe totam ac propriam fatetur,

Reliqua diſtributio efficientium veras ſpecies non habet: á Philoſophis tamen valde proponitur: Imprimis (ait hoſpes in Politico Platonis) duas artes in omnibus

quæ

quæ fiunt, conſideremus. So. Quas? Hoſpes. τὴν μὲν γενέσεως συναίτιον, τὴν δὲ αὐτὴν αἰτίαν· Unam quidem generationis adjutricem, alterã verò cauſſam & authorem. So. Quomodo? Hoſpes. Quæcunque rem ipſam non efficiunt, ſed efficientibus argumenta ſuppeditant, quibuſque abſentibus nunquam earum unica opus inſtitutum perficeretur, has ξυναιτίους, id eſt adjuvantes: opus autem ipſum perficientes, αἰτίας, cauſſas appellamus. So. Conſentaneum id quidem. Cauſſa hujuſmodi Græcis eſt συναίτιον, quaſi diceres cõcauſſa: quo verbo, quinto capite quinti Philoſophiæ Ariſtoteles etiam utitur: Et capite ſecundo libri ſecundi Phyſicorum, facit artium alias ἀρχιτεκτονικὰς, id eſt principes & imperantes: alias ποιητικὰς, id eſt effectrices & miniſtras: ut gubernator, princeps eſt cauſſa navigationis: nautæ & remiges, miniſtri: illa autem cauſſa princeps plerunque pro abſoluta uſurpatur, ut cúm dicimus ab Alexandro magno victos eſſe Perſas, á Scipione Carthaginẽſes, á Cæſare Gallos. *Hos efficientis modos*] Exemplum Ciceronis cõtinet diſſimilitudinem rerum bellicarum & clementiæ Cæſaris: cujus utraque pars ex cauſſis efficientibus illuſtratur: In priore, quæ protaſis appellatur, ſex ſunt adjuvantes cauſſæ, quæ Cæſari victoriam comparant: in poſteriore, unica eſt cauſſa abſoluta, quòd Cæſar ſolus author ſit ſuæ clementiæ: eaque amplificatur ex remotione aliarum cauſſarum adjuvantium.

EFFICIENS PER SE AUT *per accidens.*

Efficiens per ſe, quæ efficit ſuo motu, idque conſilio ac natura. Confeſſio Ciceronis pro Ligario eſt exẽplum cauſſæ efficientis conſilio: Suſcepto bello, Cæſar, geſto etiam magna ex parte, nulla vi coactus, judicio meo ac voluntate ad ea arma profectus ſum, quæ erant ſumpta contra te,

Sic Phædria incontinentiam ſuam confitetur in Eunucho Terentii:

— O indignum facinus! nunc ego & Illam ſceleſtam eſſe, & me miſerum ſciens, Et tædet, & amore ardeo, & prudens, ſentio, Vivus videnſque pereo, nec quid agam, ſcio.

At illa ventorum efficientia primo Æneïdos naturalis eſt:

Incubuere mari, totumque à ſedibus imis Una Euruſque Notuſque ruunt, creberque procellis Africus, & vaſtos tollunt ad littora fluctus.

Hac ſpecie efficientis, res omnes naturales oriuntur, intereunt, augentur, minuũtur, alterantur, loco moventur. Cauſſa per accidens, eſt cauſſa, quæ non per ſe, ſed neceſſitate, aut fortuna efficit: Neceſſitas, eſt cauſſa per accidens, quæ vi cogitur ad effectum.

Omne ſiquidem neceſſarium, res violenta eſt, ait Euenus.

Et vis, neceſſitas eſt quædam, ut Sophocles ait,

Sed vis me hæc neceſſarió cogit agere.

Neceſſitas hoc modo ſumitur in defenſione Ligarii ad eos excuſandum, qui Pompejum ſecuti eſſent: At mihi quidem, ait, ſi proprium & verum nomẽ noſtri mali quæratur, fatalis quædã calamitas incidiſſe videtur, & improvidas hominum mentes occupaviſſe: ut nemo mirari debeat, humana conſilia, divina neceſſitate eſſe ſuperata. Fortuna, eſt cauſſa per accidens, quæ ſine vi ad efficiendum cogitur: In Palatium cõveniendi amici

amici gratia veniſti, non inveniſti, fruſtrá igitur veniſti: at dum illuc venires inveniſti theſaurum: profectio tua eſt cauſſa inventi theſauri, ſed fortuita: Sic Ovidius primo Triſtium, imprudentiam ſuam excuſat:

Cur aliquid vidi? cur noxia lumina feci?
Cur imprudenti cognita culpa mihi eſt?
Inſcius Actæon vidit ſine veſte Dianam:
Præda ſuis canibus nec minús ille fuit.
Scilicet in ſuperis etiam fortuna luenda eſt,
Nec veniam, læſo numine, caſus habet.

Sic caſu fortuito (ait Cicero tertio de Natura Deorum) Phæreo Iaſoni profuit hoſtis, qui gladio vomicam ejus aperuit, quam ſanare Medici nõ poterant. Hinc ſumitur deprecatio, qualis eſt pro Ligario: Ignoſce pater, erravit, lapſus eſt, non putavit: ſi unquam poſthac. Et pauló póſt: Erravi, temeré feci, pœnitet, ad clementiam tuam confugio, delicti veniam peto, ut ignoſcas oro. Epicurus fortuita atomorum concurſione mundum efficiebat: Cicero ſecundo de Natura Deorum meritó philoſophum deriſit: Hoc qui exiſtimat, ait, fieri potuiſſe, non intelligo cur non idem putet, ſi innumerabiles unius & viginti literarum formæ vel aureæ vel qualeſlibet aliquó conjiciantur, poſſe ex his in terram excuſſis, annales Ennii, ut deinceps legi poſſint, effici: quod neſcio anne in uno quidem verſu poſſit tantúm valere fortuna: Ignoratio autem cauſſarum, temerariam efficientiam confinxit: Itaque non in-

ſcité Juvenalis Satyra decima:

Nullum numen abeſt, ſi ſit prudentia: ſed te
Nos facimus Fortuna, deam, cæloque locamus.

Poſtremus modus efficientium eſt apud Ariſtotelem undecimo capite ſecundi Poſteriorum pauló ſecús καθ' αὑτὸ καὶ κατὰ συμβεβηκός, per ſe & per accidēs: Itē quinto capite ſecūdi Phyſici. Sed tamen ne quis in errorē inducatur, accidētis nomen aliás Ariſtoteles ipſe, ut in Philoſophia triceſimo capite quinti, & ſecundo ſexti, & ſeptimo undecimi proprié facit αὐτόματον, ἀόριστον, ἄπειρον, ἄτακτον fortuitum, infinitum, inordinatum: Hoc autem loco latiús intelligitur: ut violētia, etiam cauſſa per accidens dicatur, ut fortuna. *Plato*] Plato 10. Leg. comprehendit hanc diviſionem nominibus naturæ, fortunæ, artis: ejus verba ſunt, λέγουσί τινες, ὡς πάντα ὅσα τὰ πράγματα γίνόμενα, καὶ γενόμενα καὶ γενησόμενα· τὰ μὲν φύσει, τὰ δὲ τέχνῃ, τὰ δὲ διὰ τύχην. Quidam ajunt res omnes quæ fiunt, quæ factæ, quæque futuræ ſunt, partim natura, partim arte, partim fortuna effici. *Idque conſilio*] Cauſſa per ſe efficiens, dupliciter aliquid efficit, κατὰ τὸν ὄρεκτον, id eſt appetitu & conſilio, & κατὰ τὸν φύσιν, id eſt natura, ut Ariſtoteles ait in locis pauló antè citatis: Nā & voluntas, ſua ſponte movetur ad aliquid agendum, & natura, ſuopte nutu agit procreando, augēdo, minuendo, alterando, cæteraſque mutationes in corporibus ciendo: ideoque appellatur â Phyſicis ἀρχὴ τῆς κινήσεως, principum motus, ἐν ᾧ ὑπάρχει πρώτως καθ' αὑτὸ καὶ μὴ κατὰ συμβεβηκός, in quo ineſt primúm per ſe & non per accidens. *Suſcepto bello*] Cicero fatetur ſe conſultó & liberé contra Cæſarem arma ſuſcepiſſe: quæ confeſſio ad augendam clementiam Cæſaris ſpectat, qui voluntario hoſti pepercerit. *Sic Phædria*] Phædria adoleſcens excluſus á Thaide incontinentiam ſuam arguit: quód tametſi ſciat & intelligat ſe perire, voluntate tamen pereat. *Et prudens*] Hoc proverbii vice á Cicerone uſurpatur in Epiſtolis: Ut in fabulis Amphiaraus, ſic ego prudens

prudens & sciens ad pestem ante oculos positam sum profectus. Pro Marcello: Prudēs & sciens ad interitum ruebam. Pro Sestio: Vivus ut ajunt, videnſque cum victu & vestitu suo publicatus est. Pro Quintio: Huic acerbissimum vivo videntique funus ducitur. *Incubuere*] Aeolus oratione & precibus Junonis adductus, ventos ex antris emittit in mare, ad vexandas naves Trojanorum. Hæc igitur est subitæ tempestatis descriptio, ex ventis, caussis efficientibus: Ubi ad incredibilem quandam tempestatem explicandam finxit poëta, ut Seneca in Quæstionibus naturalibus notavit, quod natura non ferebat, ventos contrarios simul flare: Quod figmētum ex Homeri libro quinto Odysseæ imitatus est Virgilius. Sic Physici naturales rerum causſas efficientes considerant, calidum, frigidum, humidum, siccum: & pluviæ, grandinis, cæterarumque rerum, quæ gignūtur in aëre, generationem partim ab exhalationibus, partim ab affectione aëris repetunt: & terræ motum ab inclusis exhalationibus: Itemque disputāt, animalia partim coitu, partim sine coitu generari, & eorum progressionē fieri partim vētre, partim pinnulis, partim pedibus: nihil deniq; est in rerū natura, cujus causſas efficiētes naturales nō exquirant. *Causſa efficiens per accidens*] Causſa efficiens per accidēs dupliciter distinguitur, necessitas & fortuna: Necessitas, causſa coacta est, á qua si quid actum sit, id potiús causſæ cogēti, quám coactæ imputatur: ut si quis ab alio impulsus quenquam offendat: is non tam reprehenditur, quám qui impulit: atq; hujusmodi causſa coacta, interdum potest certo consilio agere, ut homo: sed non tum, cúm extrinsecús oblata impulsione cogitur ad efficiēdum. In hoc genere interdum numerantur causſæ, nō quæ omnino violēta necessitate impelluntur, sed quæ quasi cogi & impelli videntur: Nam mercatorse tēpestate coactū esse dicit, ut merces abiiceret: & privatus á tyranno se cogi, ut parentē interficiat: attamen neque tempestas, neque tyrānus necessitatem faciendi adfert, quanvis vehementer urgeat: sed quia sic usus fert, talis

cauſſa appellatur neceſſaria & coacta, ex cõditione, ſine qua ſalvi aut liberi eſſe non poſſumus, ut Cicero loquitur. Appellatur cauſſa hæc ab Ariſtotele undecimo capite ſecundi Poſteriorum, ἀνάγκη βιαία, neceſſitas violenta: ea verò, ut eſt in Philoſophia quinto capite quinti, παρὰ τὴν ὁρμὴν καὶ προαίρεσιν, contra voluntatem & cõſilium impedit & prohibet: Violentum ſiquidem neceſſarium dicitur, & ideo moléſtum, quemadmodum & Euenus inquit,

πᾶν γὰρ ἀναγκαῖον πρᾶγμ' ἀνιαρὸν ἔφυ.

Omne nanque neceſſarium, res violenta eſt.

Et violentia, neceſſitas eſt quædam, quemadmodum & Sophocles ait:

ΑΛΛ' ἡ βία μὲ ταῦτ' ἀναγκάζει ποιεῖν·

Sed violentia me neceſſarió hæc cogit facere.

Ac videtur neceſſitas ἀμετάπειστόν τι εἶναι ὀρθῶς · indiſſuaſibile quiddam eſſe, & rectè: id enim contrarium eſt τῇ κατὰ τὴν προαίρεσιν κινήσει καὶ κατὰ τὸν λογισμόν, conſilii & rationis effectioni: Hæc illic Ariſtoteles.

Neceßitas hoc modo] Excuſat Orator Pompejanos ad bellum civile contra Cæſarem, veluti neceſſitate fatali impulſos: hæc Græcis εἱμαρμένη dicitur, cúm res aliter fieri non poteſt, atque á Deo conſtitutum eſt intra fatalem continuationem ordinis ſempiterni. Athenienſis apud Platonem diſputat, res hominum in caſu poſitas eſſe: & τύχην generaliter accipit libro quarto de Legibus: ΑΛΛΑ γὰρ ὁμοίως αὖ καὶ τό τε ὄντι λέγοντα τῷ λέγειν, ὃν τοῖς αὐτοῖς νοῦσοις. ΚΛ. τὸ ποῖον; ΑΘ. Ὡς θεὸς μὲν πάντα, καὶ μετὰ θεὸν, τύχη καὶ καιρὸς τ' ἀνθρώπινα διακυβερνῶσι ξύμπαντα. At verò licet hoc quoque rectè affirmare in his ipſis. Cli. Quidnam? Ath. Quód Deus quidem omnia, ſecundúm autem Deum, fortuna & occaſio res omnes hominum gubernent. Ariſtoteles quinto & ſexto capitibus ſecundi Phyſici, τύχην καὶ αὐτόματον, fortunam & caſum in efficientibus comprehendit: tametſi & ibidem & in Philoſophia ſeptimo capite undecimi, τύχην ſtatuit in iis, quæ conſilio aguntur: αὐτόματον in omnibus: Ideoque in pueris,

eris, bestiis, lapidibus non dici εὐτυχίαν καὶ δυστυχίαν, bonam aut malam fortunam, nisi καθ' ὁμοιότητα, secundum similitudinem: ut Protarchus dicebat λιθοὺς εὐτυχεῖς, lapides fortunatos esse, unde fiebant altaria, quia colerẽtur: ἀνόματον, veluti τὸ αὐτὸ μάτην, ipsum frustra dicitur. *Sic Ovidius*] Excusat Ovidius culpam suam ob casum, quód aliquid fortuitó viderit, quo Augustus Cæsar iratus est illi: commemoratque similem casum Actæonis, qui cúm in monte Gargaphiæ feras persequens, nudam in fonte Dianam aspexisset, subitó ab ea in cervum conversus, & á suis canibus dilaniatus est. *Sic casu fortuito*] Phalereo vulnus, salutaris curatio fuit, qui, ut Plinius libro septimo author est, jam deploratus á Medicis vomicæ morbo, cúm mortem in acie quæreret, vulnerato pectore medicinam invenit ex hoste: hostis igitur curationis fortuita caussa fuit: non enim sanare inimicum, sed necare volebat: Cicero libro tertio de Natura Deorum non Phalereum, sed Phæreum Iasonẽ nominat. *Hinc sumitur*] Cicero fingit per prosopopœiã hominem aliquem imprudentia lapsum, & iccirco veniam facti sui deprecantem, tanquam non sponte, sed fortuito aliquo casu deliquerit. *Epicurus*] Lucilius Balbus apud Ciceronem secundo de Natura Deorum refellit Epicureos á minoribus caussis: Characteres literarum temeré projecti, vix ac ne vix unquam annales Ennii efficient: non igitur credibile est, tam excellẽtem & admirabilem mũdum temerario & fortuito atomorum concursu factum esse: Sic Cicero adversus Carneadem disserit, qui divinationem fortuitam esse dicebat: Quicquam potest esse casu factum, quod in se habeat omnes numeros veritatis? quatuor tali jacti, casu venereum efficiunt, num etiam centum venereos, si quadringentos talos conjeceris, futuros putas? Aspersa temeré pigmenta in tabula, oris lineamenta effingere possunt, num etiam Veneris Coæ pulchritudinem effingi posse aspersione fortuita putas? Fortuna, est ibidẽ Aristoteli quiddam παράλογον, ἀόριστον, ἀβέβαιον, ἀνθρω-

πίνῳ λογισμῷ ἄδηλον· Improvidum, incertum, dubium, humano judicio ambiguum: ejusque efficientiam ignoratio caussarum confinxit: Fortuna enim, nullius per se caussa est, sed eventus, quem fortuitum dicimus, caussa quædam certa est, licet humanæ menti ignota: ὡς θεῖόν τι ὂν καὶ εὐδαιμονιώτερον, ut divinum quiddam & beatum, ut est quarto capite secundi Physici. *Non insité Juvenalis*] Si intelligimus rerum caussas, videmus omnia divino consilio & prudentia regi & gubernari: sed quia eas frequenter ignoramus, ideo fortunæ locum tribuimus, deamque vocamus. Sic Academici interdum Deum appellant fortunam, quód multa efficiat improvisa & inopinata nobis propter obscuritatem ignorationemque caussarũ, ut ait Cicero primo Academico. Hujus generis caussarũ ἑκουσίων καὶ ἀκουσίων, voluntariarum & non voluntariarum, magnus est usus in vita: atque iccirco hanc sibi caussam Aristoteles sumpsit πρὸς τὸ ἑκουσίου καὶ ἀκουσίου dicendi. Cúm sit, inquit primo capite tertii libri ad Nicomachum, virtus tum circa affectus, tum actiones: & in voluntariis laus & vituperatio versetur: in involuntariis venia, & interdum etiam misericordia: voluntarium & involuntarium neceffarió fortasse de virtute præcipiente definiendum sit: commodum veró etiam legum latoribus & ad honores & ad animadversiones. Efficientis autem caussæ genus Physici veteres in rebus pauló uberiús, sed rudiús & impolitiús, quám finem & formam adhibuerunt, ut scribit Aristoteles in Metaphysicis: & magis á veritate ipsa coäcti, quám ulla arte docti. Hesiodus & omnes Theologi id solúm, quod sibi probabile esset, spectaverunt: nos veró contempserunt: Nam cúm deos, rerum principia esse, & ab iis omnia facta esse dicerent, quæ nectar & ambrosiam non gustassent, mortalia esse dixerunt. Hesiodus idem aliás & Parmenides rerum efficientem caussam posfuerunt ἔρωτα, amorem: ἀλλὰ πρὸς μὲν τῶν μυθικῶς σοφιζομένων, sed de iis fabulosé philosophantibus, majoris considerationis studiũ fuerit indignum: Hermotimus & Anaxagoras

xagoras τὸν νοῦν, mentem: quæ una inter ebrios valde ſobria viſa eſt eſſe ſententia: tametſi Anaxagoras illa mẽte, veluti machina aliqua ad mundi fabricam abutitur: Sic in rebus incertis eam trahit: aliás quidvis potiús cauſſam, quám illam mentem facit: Empedocles φιλίαν καὶ νεῖκος, concordiam & diſcordiam: Democritus ῥυσμὸν, διαθιγὴν, τροπὴν figuram, ordinem, ſitum: Parmenides unum modó ſecundúm rationem, modó calidum, frigidum, modó ignem: Denique hanc cauſſam veteres attigerunt, at obſcuré, nec quicquam aperté: ſed, ut in pugnis inexercitati pugiles faciunt: Etenim illi huc & illuc impulſi egregias plagas frequenter imponunt: ſed neque hi arte, neque illi omnino videntur ſentire, quæ dicant. Sic Ariſtoteles hujus cauſſæ doctrinam ſibi vẽdicat, ſicut antea & finis & formæ doctrinam vendicavit: ſicuti Logicæ univerſæ inventionem ſibi vẽdicavit: & tamen opiniones horum philoſophorum Phyſicæ magis, quám Logicæ, aut primæ Philoſophiæ ſunt: nec Ariſtoteles de cõmuni & ad omnes doctrinas pertinẽte cauſſarũ doctrina præcipiens, apté videtur de phyſicis cauſſis præcipientes philoſophos reprehendere.

MATERIA.

Materia, eſt cauſſa, ex qua res fit: Sic ſecundo Metamorphoſeωs Ovidii, Solis domus auro, pyropo, ebore, argento componitur,

Regia Solis erat ſublimibus alta columnis,
Clara micante auro, flãmaſque imitante pyropo:
Cujus ebur nitidum faſtigia ſumma tegebat.
Argenti bifores radiabant lumine valvæ.

Veruntamen jam ſatis de cauſſis præceptum eſt ex inventionis ordine: Nam tametſi finis in deliberando præcedat, primoque inveniatur: deinde forma, tum efficiens ſequantur: attamen in effectione operiſque actione, materia prima

eſt: tum efficiens & forma conſequuntur: itaque finis extremus eſt. Hic igitur logicæ inventionis primus fons eſt: fons omnis ſcientiæ: tum enim perfectè ſcimus, cùm cauſſas ſcimus, quodque ſecundo Georgico de phyſicis cauſſis á poëta dicitur, meritó hoc loco dici poteſt,

Felix, qui potuit rerum cognoſcere cauſſas.

Materia] Sic ab Ariſtotele definitur, αἴτιον tertio capite ſecundi Phyſici, ἐξ οὗ γίνεταί τι ἐνυπάρχοντος· cauſſa, ex qua cùm inſit, fit aliquid: ut æs ſtatuæ, argentum pateræ materia eſt: appellatur ab eodem frequenter neceſſitatis nomine: non quòd ex ea concluſio neceſſaria fieri poſſit, ſed ἐξ ὑποθέσεως: quia ut res ſit, materiam ejus eſſe neceſſe eſt: ὕλη proprié, aliquando etiam τὸ ὑποκείμενον, ſubjectum dicitur. Materiam logicam intelligere debemus, & rerum omnium communem, non phyſicam tantúm palpabilem & tractabilem: ſic ſyllogiſmi vel mente ſola concepti materiam, dicimus quæſtionis extrema & argumentum: quo modo Ariſtoteles ait in Philoſophia quinto & ſexto capitibus libri primi, á primis Philoſophis ὕλην σωματικὴν materiam corpoream, á Pythagoreis & Platone ἀσώματον, incorpoream conſtitui: Et rurſus ibidem decimo ſeptimi, item ſexto octavi duplicem ὕλην, τὴν μὲν αἰσθητὴν, τὴν δὲ νοητὴν, materiam aliam quidem ſenſibilem, aliam intelligibilem: Et omnino ait ſecundo quarti & tertio undecimi Philoſophiæ, αἴτια, ſicut oppoſita & comparata, eſſe τῷ ὄντος πρώτας διαφορὰς, εἴδη καὶ καθ' αὑτὰ πάθη, entis primas differentias, & ſpecies, & affectiones, idemque de omnibus Dialecticæ locis omnino dicendum, ut eſt octavo capite primi Elenchῶν: ὄντι γὰρ κοιναὶ πρὸς ἅπασαν τέχνην καὶ δύναμιν· Hi nanque communes ſunt ad omnem artem & facultatem: Ergo ut finis, formæ, efficientis, ſic materiæ cõſideratio phyſicis artibus multó communior & generalior eſt. Ariſtoteles primo libro

bro Metaphyſicorum colligit antiquorum ſententias de materia rerum: Thales Mileſius ſtatuebat aquam, quia humor eſſet, pabulum rerum omnium: Theologi, ut Orpheus & Homerus, Oceanum, Thetyn & Stygen: eadem ratione Anaximenes aërem, quód ex ejus raritate vel denſitate, cætera fierent: Heraclitus ignem, quód calor ſit fomes omnis naturæ: Heſiodus chaos, id eſt rudem & indigeſtam materiam, ex qua res omnes procreatæ eſſent: Pythagorei numerum: Plato magnum & parvum: his enim nominibus materiam definiebat, appellans eam magnam, quód eſſet particeps omnis quantitatis: & parvam, quód per ſe eſſet expers omnis dimenſionis, ut ait Simplicius: Meliſſus & Xenophanes, unum, ut cœlum infinitum & immutabile, & ſibiipſi ſimile ac plenum: Quos omnes philoſophos Ariſtoteles irridet ut ἀγριωτέρους, id eſt agreſtiores, & puerorum in cunis balbutientium perſimiles.

Nam tametſi] Præſtantiam excellentiamque cauſſarum ſibi finis vendicat, ut eſt primo capite primi libri de partibus Animalium: dein forma, tum efficiens: materia, omnium poſtrema eſt: nam ſi finis rei conſtiterit, cæteras eſſe cauſſas eſt neceſſe, non contrà: phyſicis exceptis, ubi placet Ariſtoteli finem formæ conjungi: ſi forma, efficientem & materiam, non cõtrá: ſi efficiens, materiam, non contrá: ſic videlicet antecedentibus in conſequentes ſuum quodammodo jus eſt: tametſi in agendo contrá accidit: materia enim ſit priús in ædificando, neceſſe eſt, quám architectus ullum opus faciat: forma ſequitur efficientem: tandem ædificio utimur, & operis fine fruimur: & ſic finis, tempore poſtremus eſt in rebus artificioſis & voluntariis, non autem in Phyſicis: iccircoque in Philoſophia dicitur de cauſſis, materiam primúm, deinde efficientem, tum formam & finem obſervari cœpiſſe: & nos ideo illum naturæ ordinem in explicandis cauſſis ſecuti ſumus. *Hic igitur Logicæ*] Cauſſa, primus Dialecticæ inventionis locus eſt, unde omnis ſcientiæ humanæ ſolida conſtanſque cognitio

demonſtratioque depromitur: tum enim veré proprieque ſcire judicamur, cúm rei cauſſam, propter quam res eſt, & propriam & neceſſariam agnoſcimus: Sic enim Ariſtoteles τῦ ἐπίσασθαι καὶ ἐπιςήμης nomen definit in Poſterioribus ſecundo capite libri primi, & infinité cæteris deinde libris repetivit: tametſi ſcientia, cujuſcunque rei ſit, æternæ an caducæ, nihil ad Logicam intereſt, tum vera tenetur, cúm ejus cauſſæ tenentur: ideoque quacunque in arte vel dictione verſeris, ſummum λογικῆς ἐυπραξίας finem adeptus ſis, cúm cauſſas perviderís: tamen quia præſtantior æternarum rerum ſcientia ſit, quám caducarum, ſcientiæ quoque nomen illic habetur præcipuum. Ergo memineris ab Ariſtotele ſcientiam definiri ex cauſſis æternis & propriis, propter quas res ſit: eamque ſcientiam dici ab eo διότι καὶ διάτι, quãobrem & propter quid: ſecús é cæteris cauſſis vel quibuſvis aliis argumentis ſcientiam quandam ſecundariã gigni, eamque dici ὅτι, quia. Quanti veró unus cauſſarum locus Ariſtoteli fuerit, tam multa de his monimenta teſtantur: In poſterioribus Analyticis, in Topicis, ſecundo Phyſico, primis primorum de Animalium ortu & partibus librorum capitibus, & tot jam propoſitis Philoſophiæ libris, in quibus veteres philoſophos, ut agreſtes & inexercitatos ac plané nugatores: ut Dialecticæ deniq; expertes irriſit: οἱ γὰρ πρότεροι, διαλεκτικῆς οὐ μετεῖχον· veteres enim, ait ſexto primi Philoſophiæ, Dialecticæ participes non erant: Imó veró tota vetus illa philoſophia, ſeptimo primi Philoſophiæ, ei velut infantula & in primis incunabulis adhuc involutæ βαλλιζομένῃ ἔοικεν, balbutire viſa eſt.

EFFECTUM.

Effectum, eſt quicquid é cauſſis exiſtit: Hujus loci ſunt laudes & vituperationes, quarum pleni ſunt libri ſacri & profani, pleni annales, plena hominum

hominum vita: Sic Virgilius ſexto Æneïdos nomine Romani deſcribit facta veri principis,

Tu regere imperio populos Romane, memento:
Hæ tibi erunt artes, Pacique imponere morem,
Parcere ſubjectis, & debellare ſuperbos.

Huc dicta ſcriptaque referenda ſunt. Pericles & Hortenſius bene dicendi laude celebrantur, eodemque argumento Demoſthenes & Cicero etiam bene ſcribendi. Ad hunc etiam locum referuntur conſilia & deliberationes, etiam ſi omnino ad exitum perductæ non fuerint: Parmenio & Philotas imperio Alexandri, morte mulctati ſunt, quia conjurationis eſſent ſuſpecti, ut Curtius & Arrianus meminerunt. De Lentulo & Cethego, aliiſque Catilinæ popularibus, Romani ſenatus judicio ſupplicium ſumptum eſt. Atque omnino, ut admonuimus cauſſas omnes rerum corporearum & incorporearum cõmunes eſſe, ſic effecta volumus intelligi. Horatius hoc modo commemoratis aliquot ebrietatis cauſſis, ejus effecta deſcribit:

Quid non ebrietas deſignat? operta recludit,
Spes jubet eſſe ratas, in prælia trudit inermem:
Sollicitis animis onus eximit, ac docet artes:
Fœcundi calices, quem non fecere diſertum?
Contracta quem non in paupertate ſolutum?

Cauſſæ verò cum ſuis effectis, viciſſimque effecta cum ſuis cauſſis, affinitatem magnam habent: ut non ſolùm ex ſuis cauſſis effecta diſputentur & exponantur, ſed etiam ex effectis ſuis

caussæ: tametsi circulus hic effectorum ad caussas, scientiam veram non afferat.

Effectum] Hoc argumentum dicitur in Organo ἀιτιατὸν, πρᾶξις, ἔργον, ἐνέργεια, ποίησις, γένεσις· caussatum quasi diceres, actio, opus, actus, effectio, generatio: Latinis effectum vel effectus, eventum vel eventus frequenter appellantur: caussatum si Latinus in hanc sententiam usus pateretur, aptissimé diceretur: Idem nomen proprié ad efficientes caussas refertur: aliqua tamen ratione cum cæteris etiam caussis comparatur: Nam & finis alliciendo, & forma rei, naturam constituendo, & materia patiendo etiam ad effectum adhibentur: Itaque effecta de omnibus caussis existere possunt: nec veró tantúm in præteritis rebus effecta considerantur, sed etiam in his, quas quis facit aut facturus est: ut cúm disputatur, quid facturus fuerit Alexander Magnus, si in Italiã venisset: tum enim effecta Alexandri non præterita, sed futura memorantur. De hoc genere argumenti, Platonis locus sic est in Phædro, Σω. τὸ τοίνυν περὶ φύσεως, σκόπει τί ποτε λέγει Ἱπποκράτης τὲ καὶ ὁ ἀληθὴς λόγος. ἆρ' οὐχ ὧδε χρὴ διανοεῖσθαι περὶ ὁτουοῦν φύσεως; πρῶτον μὲν, ἁπλοῦν ἢ πολυειδές ἐστιν, οὗ πέρι βουλησόμεθα εἶναι αὐτοὶ τεχνικοὶ, καὶ ἄλλους δυνατοὶ ποιεῖν· ἔπειτα δὲ ἐὰν μὲν ἁπλοῦν ᾖ, σκοπεῖν τὴν δύναμιν αὐτοῦ, τίνα πρός τι πέφυκεν εἰς τὸ δρᾶν ἔχον, ἢ τίνα εἰς τὸ παθεῖν ὑπό του· ἐὰν δὲ πλείω εἴδη, ταῦτα ἀριθμησάμενος, ὅπερ ἐφ' ἑνὸς, τοῦτ' ἰδεῖν ἐφ' ἑκάστου τὸ, τὶ ποιεῖν αὐτὸ πέφυκεν, ἢ τὸ τί παθεῖν ὑπό του. Φαι. Κινδυνεύει, ὦ Σώκρατες. Σω. ἠγοῦν ἄνευ τούτων μέθοδος, ἐοίκοι ἂν ὥσπερ τυφλοῦ πορεία· Ἀλλ' οὐ μὴν ἀπεικαστέον τόν γε τέχνῃ μετιόντα ὁτιοῦν τυφλῷ οὐδὲ κωφῷ. Socrates in Phædro Platonis, cúm medici & oratoris comparationem inducit, De naturæ, inquit, inquisitione quid Hippocrates veraque ratio præcipiat, considera: An non hoc modo natura cujusque rei cogitãda est? Primúm quidem utrúm simplex ea sit, an multiplex, quam arte percipere & alios docere cupimus: deinde si fuerit simplex, vix ejus consideranda est, quid

&

& cujus gratia agere: itemque quid & á quo pati poſſit: Si veró multiplex ſit, partibus dinumeratis, in ſingulis ſimiliter notandum eſt, quid faciat, & quid illi aliunde accidat. Phæ. Ita videtur o Socrates. So. Abſq; his autem diſputatio, progreſsio quædam velut hominis cæci eſſe videtur: Nec tamen qui aliquid arte tractat & proſequitur, cæco homini vel ſurdo cõparandus eſt. Hujus etiam argumenti locus, varié ab Ariſtotele repetitus eſt in Analyticis & Topicis. Hujus argumenti ab effectis exempla ſunt, cúm opifices ex operibus, & inventores ex inventis, & authores ex ſuis factis laudantur aut vituperantur: ut Cicero libro ſecundo de Natura Deorum ex mundo mundique partibus opificem naturæ inquirit & commendat: & Apelles ex tabulis pictis, Lyſippus ex ſtatuis laudem meruit: & populus Romanus ex bellicis factis: Sic Liber pater, quód docuit emere & vendere: Ceres quód arare, laudatur: & Aſſyrii, quód primi literas invenerunt: & Amphion, quód Muſicam: & Atlas, quód Aſtrologiam: & Anaximander, quód ſphæram. Sic Virg. ſexto Aeneidos, cúm in perſona Aeneæ optimum Reipub. civem inſtituit, converſus ad Romanum pincipem, breviter ejus facta deſcribit. *Huc dicta ſcriptaque*] Dicta, ſunt eorum á quibus dicuntur, & ſcripta, eorum á quibus ſcribuntur, facta quædam: Ut Pericles Athenienſis ex bene dictis laudatus eſt, ob idque in ejus labris Pytho perſuaſionis deam ſeſsitaſſe ajunt: Ex eodemque genere laudatus Hortenſius orator Romanus: ſcripta tamen illius nulla, ut ait Cicero: hujus veró multó infra famam: Demoſthenes & Cicero utraque laude præſtiterunt, bene & dicendi & ſcribendi. *Ad hunc locum*] Conſilia laudantur aut vituperantur, tanquam rectè aut malè facta deliberantium. Parmenionem reum conjurationis Cleander primúm juſſu Alexandri Magni percuſsit, deinde milites exanimem confoderunt: Curtius libro ſeptimo. Philotas, cum multis aliis, qui in ſuſpicionem conjurationis venerant, dato ſigno ſaxis obrutus eſt; Curtius li-

bro ſexto. *Eodemque argumento*] Conſilium conjurationis deſcribitur prima oratione Ciceronis in Catilinam: deprehenſio, oratione tertia: ſupplicia conjuratorum in hiſtoria Salluſtii. *Atque omnino*] Omnes dialecticæ præceptiones ſunt omnino generales & communes rerum omnium, nec ad res phyſicas vel alias unius generis tantúm, ſed ad omnes omnino attinent. *Horatius*] Cúm Horatius aliquot ebrietatis cauſſas narraſſet, ut curas omnes abjicere, convivio ſplendido intereſſe, optima vina effuſé ac largé potare, ebrietatis effecta ſubjungit, quæ ſunt, arcani ſignificatio, ſpes, audacia, gaudium, opinio doctrinæ, garrulitas, vacuitas á curis. *Cauſſæ verò*] Cauſſarum & effectorum cognatio magna eſt: præcipua tamen ſcientia eſt διότι ab Ariſtotele nominata, & tertio capite primi Poſteriorum reprehenditur in vera & ſcientifica demonſtratione, circulus effectorum, unde cauſſæ doceantur: tametſi poteſt, accidere, ut eadem iiſdem viciſſim effecta ſint & cauſſæ, fiantque circulo, ideoque circularis ſit eorum & mutua demonſtratio, ut terra madefacta gignitur vapor: hinc nubes, unde pluvia, qua demum terra madeſcit, ut Ariſtoteles ait decimo tertio capite ſecundi Poſteriorum.

SUBJECTUM.

Subjectum, eſt cui aliquid adjungitur: Sic anima, eſt ſubjectum ſcientiæ, ignorantiæ, virtutis, vitii: Corpus, magnitudinis, parvitatis, ſanitatis, morbi, roboris, infirmitatis, pulchritudinis, deformitatis: Homo, ſubjectum eſt divitiarum, paupertatis, honoris, infamiæ, veſtitus, comitatus: Locus, eſt ſubjectum rerum in eo ſitarum, quo modo Phyſici ſtudioſé conſiderant rerum naturalium locum, ignis, aëris, aquæ, terræ, tempeſtatum, metallorum, plantarum, arborum,

rum, animalium: Quod proprié á Virgilio obſervatum eſt in Georgicis, dum ſuis quemque propoſitis rebus locum perſequitur, ut ſegetibus, arboribus, vitibus, paſcuis:

At priús ignotum ferro quám ſcindimus æquor,
Ventos & varium cœli prædiſcere morem
Cura ſit, ac patrios cultuſque habituſque locorum:
Et quid quæque ferat regio, & quid quæque recuſet.
Hic ſegetes, illic veniunt feliciús uvæ:
Arborei fœtus alibi, atque injuſſa vireſcunt
Gramina.—

Sic color eſt ſubjectum viſus, ſonus ſubjectũ auditus, quia hi ſenſus in his ſenſilibus occupantur & exercentur: Atque hoc argumẽto virtutes & vitia declarantur in Ethicis, temperantia & exuperãtia, voluptate: magnanimitas & animi timiditas, periculo: liberalitas & avaritia, pecunia: Ejuſmodi ſubjecto Cicero ſecunda Agraria diſputat, inter Cãpanos nullã contẽtionem eſſe, quia nullus ſit honor: Nõ gloriæ cupiditate efferebantur, propterea quód ubi honos publicé nõ eſt, ibi gloriæ cupiditas eſſe non poteſt: non contentione nec ambitione diſcordes: nihil enim ſupererat, de quo certarent: nihil quod contra peterent, nihil ubi diſſiderent. Eodem argumẽto à Propertio dictum eſt:

Navita de ventis, de tauris narrat arator:
Enumerat miles vulnera, paſtor oves.

Senſu] Ariſtoteles ſubjectum generaliter etiam appellat ὑποκείμενον, ſive ſubſtantia ſit, ſive quidvis aliud, cui

aliquid præter ſuas cauſſas adjungitur: itemque Αντικὸν, ut in Topicis, quód ſit quaſi receptaculum adjunctorum: ut anima, ſubjectum eſt virtutum & vitiorum, ſcientiæ & ignorantiæ, quia hæc inſunt in anima: corpus, ſubjectum eſt quantitatis, quia quantitas eſt in corpore: itemque multarum qualitatum, quæ huic adjunguntur, ut ſunt ſanitas, morbus, pulchritudo, deformitas: & ſic homo ſubjectum eſt divitiarum & paupertatis, quia hæc inſunt in homine, unde dives aut pauper dicitur. *Locus*] Locus, eſt ſubjectum rerum in eo ſitarum, quia res ipſas in ſe capit & continet: & uſum in diſſerendo non infrequentem habet, cúm res ex ſuis quæque locis ſæpe deſcribantur; Exemplum hic eſt ex primo Georgico Virgilii. *Ariſtoteles*] Secundum genus ſubjecti, circa quod res quæpiam occupatur & verſatur, ab Ariſtotele declaratur. Ariſtoteles in Philoſophia quinto capite quarti ſic appellat τὰ ὑποκείμενα, ἃ ποιεῖ τὴν αἴσθησιν, ſubjecta, quæ faciunt ſenſum: Sic in explicãdis ſenſuum facultatibus quid cuique ſubjectum ſit, docet, ut viſui color, auditui ſonus, odoratui odor, guſtatui ſapor, tactui calor, frigus, humor, ſiccitas, & multæ aliæ qualitates. Ex hoc genere eſt illud quoque poëticum,

Vocemque his auribus hauſi.

Atque hoc argumento] Virtutum & vitiorum ſubjecta ab Ariſtotele tractantur capite ſeptimo de Moribus: ut fortitudo in periculis, tẽperantia in voluptatibus, liberalitas in pecuniis, magnitudo animi in honoribus, clementia in ira, veritas in dictis & factis, juſtitia in jure cuique tribuendo verſetur: in iiſdemque contraria vitia, ſed infra aut ſupra modum occupentur: Tale eſt exemplum pro lege Manilia: Non enim ſolæ ſunt illæ virtutes imperatoriæ, quæ vulgó exiſtimantur, labor in negotiis, fortitudo in periculis, induſtria in agendo, celeritas in conficiendo, conſilium in providendo.

ADJUN-

ADJUNCTUM.

Adjunctum, eſt quod ſubjecto adjungitur: pro eodem, circunſtantia dicitur: Sic animi corporiſque bona & mala, eorum adjuncta dicemus: ſic qualitates adjũctæ, ita propriæ, ut uni & ſoli ſubjecto conveniant, ſunt ejus adjuncta vel circunctantiæ: ut riſus, eſt adjunctum hominis: hinnitus, equi: latratus, canis. Atque ejuſmodi propria circunſtantia per ſe, & ſua natura, nulla intermedia cauſſa ineſt in ſuo ſubjecto: Eorum inter ſe conjunctio, eſt modo quodam eſſentialis. Argumento igitur adjunctorum Fannium Chæream adverſarium Cicero pro Roſcio Comœdo cavillatur: Nónne ipſum caput & ſupercilia illa penitús abraſa, olere malitiam & clamitare calliditatem videntur? nónne ab imis unguibus uſque ad verticem ſummum, (ſi quam conjecturam affert homini tacita corporis figura) ex fraude, fallaciis, mendaciis conſtare totus videtur? qui iccirco capite & ſuperciliis ſemper eſt raſis, ne pilum ullum viri boni habere dicatur. Sic Martialis ſecundo libro Zoilum ludit:

Crine ruber, niger ore, brevis pede, lumine luſcus:
Rem magnam præſtas, Zoïle, ſi bonus es.

Sic veſtitus & comitatus, res adjunctæ ſunt: quo circunſtantiæ genere Dido venatum proficiſcens, magnificè quarto Æneidos pingitur:

Oceanum interea ſurgens aurora reliquit.
It portis Jubare exorto delecta juventus:
Retia rara, plagæ, lato venabula ferro:

generis exemplum eſt actione ſeptima in Verrem: Stetit ſoleatus Prætor populi Romani cum pallio purpureo tunicaque talari, muliercula nixus in littore. Subjecti autem & adjuncti doctrina á veteribus philoſophis non ſolúm præceptis pené confuſa eſt, ſed uno feré tãtúm nomine τῦ συμβεβηκότος appellatur. Platonis locũ antea ex Phædro citavimus: Ariſtoteles cũm aliás, tum in Topicis libris ſecundo & tertio, accidentis ſimplicis & cõpoſiti diſputationẽ atque diſquiſitionem expoſuit.

OPPOSITA.

Oppoſita, ſunt quæ de eodem, ſecundúm idẽ, & ad idem, & eodem modo, & eodem tempore dici, & veré affirmari non poſſunt. Sic Socrates albus & ater non poteſt eadem parte eſſe, pater & filius ejuſdem, dives & pauper eodem modo, ſanus & æger eodem tempore: At albus eſſe poteſt alia parte & ater alia, pater hujus, filius illius, ſpe dives, reipſa pauper, ſanus hodie, cras æger: Atque oppoſita, ſua natura ſunt inter ſe æqué nota, attamen alterum alteri oppoſitum clariús eluceſcit. Oppoſita, ſunt contraria aut repugnantia: Contraria, ſunt oppoſita, quæ plurimũ differunt unum ab uno Cõtraria, affirmata ſunt aut negata: Affirmata, relata aut adverſa.

Oppoſita. Oppoſitorum definitio ex quarto capite primi Elenchorum deducta eſt, ubi definitur elẽchus ejuſmodi conditionibus, περὶ τὸ αὐτὸ, καὶ κατὰ τὸ αὐτὸ, καὶ πρὸς τὸ αὐτὸ, καὶ ὁσαύτως, καὶ ἐν τῷ αὐτῷ χρόνῳ, quód ſit ejuſdem & unius non nominis, ſed rei, ſecundum idem, & ad idem, & ſimiliter, & eodem tempore: Quæ omnia ſunt in generali & communi oppoſitorum definitione ſervanda: Sic Ariſtoteles in Philoſophia decimo capite quinti,

quinti, ἀντικείμενα, opposita generaliter definit, ὅσα μὴ ἐνδέχεται ἅμα παρεῖναι ἀμφοῖν δεκτικῷ, quæcunque non accidit simul esse amborum susceptivo: nec interest essentiæ sint per se consistentes, necne: Sic enim generaliter decet omnia Logicæ artis præcepta describi: & Aristoteles hac generali ratione generationem & corruptionem, fuscum & album, hominem & equum dicit ἀντικεῖσθαι. *Atque opposita*] Aristoteles secundo capite quinti Topici, & tertio sexti docet oppositum æqualiter suo opposito notum esse: τὸ μὲν γὰρ ἀντικείμενον ἅμα τῇ φύσει, oppositum siquidem natura simul est: id est, ut jam dixi, suo opposito æqué notum: Et quanvis ad rem accuraté demonstrãdam oppositum non multúm valeat, valet tamen maximé ad refellendum quidpiam, & ex alterius oppositione diligentiús considerandum: nec immeritó celebratum est illud axioma secundo & decimo septimo capitibus tertii Rhetorici: παράλληλα τὰ ἐναντία μάλιστα φαίνεσθαι· contraria juxta se posita maximé elucere. *Opposita*] Oppositorum sic generaliter acceptorum species duæ sunt, contraria & repugnantia: Aristoteles istam tam perspicuam distinctionem non habet, sed oppositionis, id est generis nomine vocat primam illam speciem: Res autem distinctæ sunt, & meliús distinctis nominibus docentur: & Cicero latiné primã illam speciem, contrariorum nomine nuncupat.

Contraria] Contraria definiuntur opposita, quæ plurimúm differunt unum ab uno, ut bonum á malo, pater á filio, videns á cæco, justum á nõ justo: quæ definitio approbatur ex Alcibiade secundo Platonis, ubi Socrates ita loquitur: καὶ μὲν δύο γε ὑπεναντία ἐνὶ πράγματι πῶς ἂν εἴη; ΑΛ. οὐδαμῶς. So. Quinetiam duo uni rei contraria esse qui possunt? Al. nullo modo. Eadem definitio colligitur ex variis locis librorum Aristotelis. In quo tamen Aristoteles probari non potest, cúm generalem hanc affectionem & omnium oppositorum communem, non generaliter, ut ipse jubet, exposuerit, sed iteraverit per species, ut postea demonstrabo. *Contraria*] Aristoteles

in Categoriis decimo capite,& in Topicis tertio capite ſecundi,& quarto quinti,& in Metaphyſicis libris quinto & decimo,quadripartitam diviſionem contrariorum facit: Sed commodiús & faciliús res ipſa percipietur, ſi primúm duo genera proponantur, deinde ſingulis ſuæ ſpecies ſubjiciantur: tum enim illuſtrior & clarior exiſtet doctrinæ ratio. Contraria igitur ſunt affirmata aut negata: Affirmata item duorum generum, relata videlicet & adverſa.

RELATA.

Relata,ſunt contraria affirmata, quorum eſſentia mutua eſt:ut pater,qui filium habet, & filius,qui patrem habet.ideoque quoniam contraria hæc mutuó ſe perpetuó reſpiciunt, natura ſimul ſunt:ut ſi perfectè alterum noveris,reliquũ quoque noveris: Itaque hæc ratio contrarium nihil efficit, quin argumentum é mutuis cauſſis oſtendit ut,Sum tuus pater, tu es igitur meus filius: At cúm dico,Sum tuus pater,nõ igitur tuus filius, tum relata hæc non tractantur ut cauſſæ mutuæ,ſed ut contraria: attamen relata omnia ita contraria ſunt,ut medio non careant: Nam inter patrem & filium intermedius eſt, cui nec pater,nec filius eſt.

Relata] Hæc ab Ariſtotele appellantur τὰ πρός τι· á Cicerone in Topicis, quæ cum aliquo conferuntur: aliás etiam relata, quorum proprium eſt ἡ πρὸς ἕτερον ἀναφορὰ,καὶ τὸ πρὸς ἀντιστρέφοντα λέγεσθαι, ad alterum relatio, & inter ſe converti, id eſt ſeſe mutuó & viciſſim definire:ut pater filii pater,filius patris filius: quod aliis contrariorum generibus non ſimul convenit: non enim bonum dicimus mali bonum, aut contrá: nec bonum, non

non boni bonum. Aristoteles τὰ πρός τι definivit in Categoriis septimo capite, sed lō gé difficiliús & obscuriús ὅσα αὐτὰ ἅπερ ἔστιν, ἑτέρων εἶναι λέγεται, ἢ ὁπωσοῦν ἄλλως πρὸς ἕτερον· quæcunque ipsa quæ sunt, aliorum esse dicuntur, vel quomodolibet aliter ad alterum. Priore parte definitionis comprehendit veré relata, quæ se mutua relationis effectione complectuntur: posteriore, relata communiter etiam & improprié appellata, quæ sine mutua relatione definiri possunt, ut cúm vulgó dicitur, scientia, alicujus esse scibilis, impropria relatione utimur, quia sciẽtia sine suo relato potest definiri. *Ideoque*] Proprium relatorum est ἅμα φύσει εἶναι, simul natura esse: Nam simul atque pater est, filium habet: si filius obierit, patris qualitas jam perit, quod in cæteris oppositis nequaquam est: nec enim eorum essentia simul & oritur & interit, licet eorum notitia sit æqualis & simul natura, quod jam dictum est: Itaque si quis relatorum alterum εἰδῇ ὁρισμένως, noverit definité, & reliquum definité noverit. Pyrrhonii in ἀκαταληψίας, incomprehensibilitatis argumentis, relata ponebãt & ignota esse dicebant, cúm viderent alterum altero nihilo notius esse: & tamen alterius definitionem ex altero pendere: Vide Laërtium libro nono in vita Pyrrhonis. *Itaque hæc*] Relata nomine nullam dissensionem faciunt, sed consensionem potiús: opposita tamen efficiunt: Nam cúm patris qualitas (nec enim τὰ πρός τι δηλοῦσιν οὐσίαν σημαίνειν, ad aliquid videntur essentiã significare, ut est in Philosophia libri quinti capite tertio) quædam tibi occurrerit, protinus in hac relationis specie filius oppositus occurret: Sum tuus pater: non igitur tuus filius: Sum tuus dominus, nō igitur tuus servus: Et hac qualitate, relata sunt opposita. In hac specie oppositionis Aristoteles statuit generalem illam oppositorum legẽ, quod relatio sit ἑνὸς πρὸς ἕν, unius ad unũ (ut est 6. cap. 4. in Philosophia) *Attamen*] Relata sic opposita sunt, ut medium tamen habere possint: Nam inter patrem & filium, medius est, cui nec pater nec filius vivit: inter dominum & servum,

libet:Illud autem medium relatis extremis relatum nõ est:Imó veró ne contrarium quidem illis est: Nam medius inter patrem & filiũ, nec patri nec filio opponitur.

ADVERSA.

Adversa, sunt contraria affirmata, quorum essentia distincta est, ut candor & nigror: candor, est color disgregans visum: nigror, est color congregans visum. Sic bonum & malum, calidũ & frigidum, virtus & vitium opponuntur: attamen, habent partim medium, ut album & nigrum, quorum sunt intermedii colores, viridis, cinericius, ruber: partim medium non habent, ut libertas & servitus. Tibullus secundo libro:

Sic mihi servitium video dominamque paratam:
Tu mihi libertas illa paterna, vale.

Adversa] Cicero in hac significatione, adversorum nomine utitur, quem vitandæ confusionis gratia, sequi licebit: In scholis contraria dicuntur: at hoc generale nomen est: Definiuntur autem contraria affirmata, ut hac parte definitionis distinguantur à privantibus & contradicentibus, de quibus mox dicemus: deinde additur, quorum essentia distincta est, ut á relatis separentur, quorum essentia est mutua: sic igitur candor & nigror, adversa sunt, quia utrunque est affirmatum: & essentiæ rationem distinctam habent, id est alterum in alterius definitionem non adhibetur: Aristoteles in Categoriis pauló confusiús definit: quæ Aristotelica definitio potest in relata quadrare. Atque in hac etiam specie repetit Aristoteles generalem illam oppositorum effectionem, ut est in Philosophia quarto capite libri dicimi: φανερὸν ὅτι οὐκ ἐνδέχεται ἐνὶ πλείω ἐναντία εἶναι. οὔτε γὰρ τοῦ ἑκάτου ἑκατώτερον εἴη ἄν τι· οὔτε τοῦ ἑνὸς διαστήματα πλείω δυοῖν ἕκατα. Planum est fieri non posse, ut uni plura sint adversa:

adversa: neque enim ultimo ulterius quicquam fuerit, neque unius distantiæ plures duabus extremæ possunt esse. Nec verò inter virtutem, τὴν ὑπερβολὴν καὶ τὴν ἔλλειψιν, exuperantiam ac defectum, oppositio vera est, ut videtur Aristoteles dicere aliquando in Categoriis capite decimo, & in Topicis capite tertio secundi: sed repugnantia: Nec enim plurimùm differunt, sed de duobus extremis alterum magis differt á medio, quám reliquum: ut avaritia magis differt á liberalitate, quám effusio, sicut Aristoteles ipse docet octavo capite secundi ad Nicomachum ut potiús duo vitia sint inter se adversa, quorum commune genus ἀνώνυμον, sit liberalitati cõtrarium. *Attamen*] Adversa, ut est decimo capite Categoriarum, vel habent medium, ut album & nigrum habent ruffum, & dicuntur ἀνὰ μέσον καὶ ἔμμεσα: vel carent medio, ut sanum & ægrum, & dicuntur ἄνευ μέσου καὶ ἄμεσα ut libertas & servitus: Sic Tibullus conqueritur se non esse liberum ab adversis ita conclusis.

Servus sum:
Non igitur liber.

PRIVANTIA.

Contraria negata sunt, quorum alterum cõtinet alterius negationem: eaque, privantia, aut contradicentia. Privantia, sunt contraria negata, quorum alterum est habitus, alterum habitus privatio: ut visus, est habitus: cæcitas, ejus privatio in homine aut animante alio, in quo visus & cæcitas inesse possit: Ideoque privatio & habitus versantur in eodem. Sic pauper & dives opponuntur apud Martialem libro quinto:

Semper eris pauper, si pauper es, Æmyliane,
Dantur opes nullis nunc, nisi divitibus.

Contraria generis hujus nihil habent tertium neque medium, ſi alterum inſit á natura, ſic vita & mors ſine medio ſunt.

Contraria negata] Expoſitis contrariis affirmatis, ſequuntur negata, quorum alterum continet alterius negationem, ut cæcitas, continet negationem viſus, & non juſtitia, negationem juſtitiæ. Dividitur hoc genus in duas ſpecies, unam privantium, alteram contradicentium. *Privantia*] Hæc ab Ariſtotele στερητικὰ, id eſt privantia dicuntur, á privatione, parte altera oppoſitionis, cui opponitur ἕξις, id eſt habitus, καθ' ἣν ἔν τι ἢ κακῶς διάκειται τὸ διακείμενον· quo bene aut malé afficitur affectum, ut ſcribit Ariſtoteles capite viceſimo libri quinti Philoſophiæ: ut viſus, eſt affectio, qua bene afficitur oculus: ebrietas affectio, qua malé afficitur homo. Cæcum dicimus, quod privatum eſt facultate videndi eo tempore, quo videre naturaliter poſſit: qua ſignificatione talpa, cæca dici non poteſt, quia ſuapté natura non eſt capax viſus: & ſi quando cæca dicitur, improprié dicitur: Homo veró privatus oculorum lumine, proprié cæcus appellabitur: quod confirmat Ariſtoteles in Philoſophia viceſimo ſecundo capite libri quinti. *Sic pauper & dives*] Pauper, nomen eſt privationis: dives, habitus: & ſic Martialis diſputat:

Soli divites diteſcunt:
Non igitur pauper dives eſſe poteſt.

Contraria generis hujus] In veré & proprié privantibus nihil eſt medium, ut inter mortem & vitam nihil tertium interjacet, in his rebus, quæ vitæ participes eſſe poſſunt: Et hæc oppoſita de re ſingulari, cui alterũ poſſit attribui, verum & falſum ſemper dividunt: ut Socrates mortuus eſt: nõ igitur vivit. aut, Vivit Socrates: non igitur eſt mortuus.

CONTRADICENTIA.

Contradicentia, ſunt contraria negata, quorum

rum alterum ait, alterum negat omnino idem: ut, Juſtus, non juſtus: Animal, non animal: cæcus, non cæcus: morbus, non morbus ſunt contradicentia, & ubique contraria hæc medio carent: Sic contradicitur ſententiis Catonis & Ciceronis, illius Stoici, hujus Academici: Dialogus eſt his verbis pro Muræna: Nihil ignoveris: Imó aliquid, non omnia. Nihil gratiæ cauſſa feceris: Imó ne reſiſtito gratiæ, cũ officiũ & fides poſtulabit. Miſericordia cõmotus ne ſis: Etiã in diſſolvenda ſeveritate: ſed tamen eſt aliqua laus humanitatis. In ſententia permaneto: Enimvero niſi ſentẽtia alia vicerit melior. Martialis primo libro:

Bella es, novimus, & puella, verum eſt:
Et dives, quis enim poteſt negare?
Sed dum te nimiúm Fabulla, laudas:
Nec dives, neque bella, nec puella es.

Exige contradictionem, ſic:

Fabulla bella eſt,
Fabulla bella non eſt:
Fabulla puella eſt,
Fabulla puella non eſt:
Fabulla dives eſt,
Fabulla dives non eſt,

Atticus Epicureus affirmabat mortuos nihil eſſe, ideoque miſeros eſſe: Hoc argumento Cicero eum cogit prima Tuſculana confiteri, mortuos miſeros non eſſe quia contradictio ſequeretur, idem eſſe & non eſſe. Jam mallem, ait Cicero, Cerberum metueres, quám iſta tam

inconſideraté diceres. Att. Quid tandem? M. Quem eſſe negas, eundem eſſe dicis: ubi eſt acumen tuum? cúm enim miſerum eſſe dicis: tum qui non ſit, eſſe dicis. Tandem poſt longam diſputationem Atticus ait: Agé, jam concedo non eſſe miſeros, qui mortui ſunt, quoniam extorſiſti ut faterer, qui omnino non eſſent, eos ne miſeros quidem eſſe.

Contradicentia] Contradicentia definiuntur ſæpe & in Organo & in Philoſophia, affirmatio & negatio: ſæpe etiam ex altera parte, ἀποφατικὰ, negantia: Simplicium autem partium ut cauſſæ, facta, ſubjecta, adjuncta, relata, adverſa, privantia, ſic negantia per ſe conſiderantur: Ariſtoteles tamen in Categoriis & Interpretatione, primo & tertio capite primi libri, negat hic affirmationem & negationem eſſe, ſed velut affirmationem & negationem appellat: & ſi nomina ſint eorum ſymbola, vocat ὄνομα ὁριστὸν καὶ ἀόριστον· nomen finitum & infinitũ: Si verba, ῥῆμα ὁριστὸν καὶ ἀόριστον· verbum finitum & infinitum: atque ſic vtrunque cõmuniter definit, ὅτι ὁμοίως ἐφ' ὡτουοῦν ὑπάρχει καὶ ὄντος καὶ μὴ ὄντος· quod ſimiliter in quolibet eſt & ente & non ente: quia de quo juſtum non dicitur, non juſtum dicitur: & de quo ſedet non dicitur, de eo non ſedet dicitur. Quanvis privatio intelligatur per negationem habitus, aliud tamen eſt privatio, aliud negatio: Illa ſiquidem certi cujuſdam generis & ſubjecti propria eſt, & tantúm ſignificat aliquid non ineſſe in re, in qua natura ineſſe poſſit: hæc communiter ſignificat quicquid non eſt in re affirmata. Itaque negatio latiús patet, quám privatio: Solum enim animal particeps viſus, poteſt dici cæcum, quando privatur naturali facultate videndi: at veró non ſolum animal dicitur non videns, ſed domus, ſed veſtis, ſed res aliæ infinitæ. Quare hæc negatio (non videns) non reſpicit certum aliquod & propriunt ſubjectum: at privatio

tio hæc (cæcum eſſe) circa proprium & certum ſubjectum verſatur. *Et ubique*] Hæc contradicentium lex traditur in Categoriis capite decimo: ἐπὶ μόνων μὴ τούτων ἀναγκαῖον ἀεὶ τὸ μὴ ἀληθὲς, τὸ δὲ ψευδὲς αὐτῶν εἶναι. In ſolis enim his neceſſe eſt ſemper alterum verum, alterum falſum eſſe. Nomen ἀντιφάσεως, contradictionis hic proprium eſt: nam φᾶναι, ἀποφᾶναι, φάσις, ἀπόφασις negare, affirmare, negatio, affirmatio, cõmunia ſymbola ſunt: & propriè φάσις eſt, cúm affirmatur: ἀντίφασις, quando negatur contrá: Ἀντίφασις etiam partem ἀντιφάσεως ſæpe ſignificat: ac ſæpe Ariſtoteles ἀντιφάσεως nomen communiter accipit pro omni affirmationis & negationis oppoſitione: hic igitur propriũ factum eſt, & ἀντιφάσεως axioma, multis locis apud Ariſtotelem citatũ: ἅπαν ἢ φῆσαι ἢ ἀποφῆσαι ἀληθὲς· quidlibet affirmare aut negare verum, ut eſt ſecundo capite primi Poſteriorum, ad hanc ſolam oppoſitionem attinet. Sunt verò ἀποφατικὰ Ariſtoteli, oppoſitorum omniũ maximé oppoſita duabus de cauſſis: prima eſt quarto capite ſecundi de Interpretatione, quia negatio eſt ἐναντιωτέρα, magis oppoſita affirmationi, quám oppoſiti affirmatio: ad eam ſiquidem oppoſiti affirmatio revocatur: Nam privatio, quædam negatio eſt, negatio nempe habitus in ſuo ſubjecto, ut eſt in Philoſophia quarto capite decimi: Et é contrariis alterum reliqui privatio eſt, ut diſſimilitudo ſimilitudinis, vitium virtutis, nigror alboris, ut eſt ejuſdem libri capite ſecundo. De relatis idem fortaſſe, quanvis non exprimat, Ariſtoteles vult intelligi, ut ſervitus, privatio quædam ſit dominatus: Secunda cauſſa eſt, quód hæc ſola oppoſita, in re qualibet immediata ſint, nec medium admittant: Quidlibet eſt aut non eſt: Scholaſtica tamen iſta ſubtilitas videtur, & Ariſtotelis etiam legibus cõtraria, qui dicit genus huic vel illi ſpeciei non magis & minús, ſed æqualiter attribui: qua doctrinâ, relata, adverſa, privantia, contradicentia, neque magis, neque minús oppoſita dicentur. Qualis contradicentium tractatio ſit & diſpoſi-

tio ad judicandum dicetur ſecundo libro, inventio tantúm hic docetur. Ariſtoteles hic etiam in primis illam generalem oppoſitorum naturam repetit, unicam nempe affirmationem unicæ negationi opponi (ut eſt in libro de Interpretatione. Quare (ut demonſtravimus) per ſpecies vitioſé declaratur ab Ariſtotele, quod initio generaliter erat explicandum. Verúm præ cæteris contrariorum generibus contradicentium genus á philoſophis diſputatum eſt. Ariſtoteles in Philoſophia tertio & quarto libris axioma contradictionis, Quodlibet affirmare aut negare verum, tanti fecit, ut principium principiorum omnium conſtituere non dubitarit. At Heraclitus utranque partem contradictionis veram eſſe cenſebat, quia nihil niſi verum dici poſſet: Anaxagoras inter verum & falſum, aliquid medium poſuit: cúm tamen nihil inter ens & non ens interjectum ſit: Antiſthenes dicebat nihil poſſe dici, niſi propria oratione: unde efficeretur, ut non liceret ἀντιλέγειν, contradicere, nec omnino mentiri, quia non propria oratione res tum diceretur: At cúm res falſa pronuntiatur, oratione contrarii dicitur: Anaxagoras dicebat μεμίχθαι πᾶν ἐν παντὶ, miſtum eſſe quodlibet in quolibet: & quales res quiſque putaret, ei tales eſſe: quo uno faciebat πάντα ψευδῆ, omnia falſa: Heraclitus omnia in perpetuo motu & fluctu ſtatuebat, ut δὶς τῷ αὐτῷ ποταμῷ ἐμβῆναι, bis in eundem fluvium ingredi equus non poſſit: omniaque & eſſe & non eſſe: quo uno faciebat ἅπαντ' ἀληθῆ, cuncta vera: Cratylus etiam Heraclitum carpebat: Imó veró, dicebat, ne ſemel quidem eundem fluvium ingredi equus poteſt: Itaque eó redierat, ut cenſeret loquendum non eſſe, quia rerum natura anté mutaretur, quám oratione pronuntiari poſſet: ἀλλὰ τὸν δάκτυλον ἐκίνει μόνον, ſed digitum movebat tantúm: Democritus κενὸν καὶ τὸ πλῆρες, vacuum & plenum in quolibet ponebat: & hoc ens, illud non ens appellabat: nihilque verum eſſe dicebat, aut certé nobis incertum: Protagoræ ſententia eſt, ἄνθρωπός ἐστιν ἁπάντων χρημάτων μέτρον.

Homo,

Homo, eſt omnium rerum menſura: Itaque, quod ei videtur & apparet, verum eſt: contrarium, eſt falſum: Cõtra quos omnes Ariſtoteles diſputat in libris de Philoſophia.

REPUGNANTIA.

Repugnantia, ſunt oppoſita, non maximé tamen differentia unum ab uno, ſed unum á pluribus: Duorum contrariorum interdum aliquid medium eſt: nec tamen iis eſt contrarium, ſed repugnans: ut viride, cinericium, rubrum, media ſunt inter album & nigrum, quæ ſingula extremis & inter ſe repugnantia ſunt: Sic liberalitas, effuſio, avaritia, inter ſe repugnant: nec enim liberalitas & effuſio maximé differũt, cúm avaritia & effuſio magis differant: Imó vitium, quod horum ſpecialium vitiorum genus eſt, magis á liberalitate differt: ut par magis opponitur impari, quám majori & minori, quæ partes ſunt imparis: Sic homo, arbor, lapis, & ejuſmodi res infinitæ repugnant: nec eadem res poteſt eſſe homo, arbor, lapis. Virgilius primo Æneidos hoc argumento diſputat:

O *quám te memorem virgo! nanque haud tibi vultus*

Mortalis, nec vox hominem ſonat: o dea certé!

Repugnantia] De oppoſitis contrariis & eorum generibus hactenus, veniamus ad repugnantia, quæ faciunt alteram ſpeciem oppoſitionis: hæc tantúm definitione explicantur & exemplis, partitionem nullam capiunt: Repugnantia igitur definiuntur negatione contrariorum, quæ quidem differunt maximé unum ab uno duntaxat, ſicut in contrariis oſtendimus: Repugnantia au-

tem minús inter ſe diſſident, quia inter ſe nec certa lege, nec certo numero diſſident: quæ definitio quatuor exmplis declaratur: primum eſt de mediis inter album & nigrum coloribus, qui & inter ſe & cum ſuis extremis collati, repugnant. *Sic liberalitas*] Secundum ſumitur ex ſecundo Ethico Ariſtotelis ad Nicomachum filium, capite octavo ubi hæc contraria vocantur ab Ariſtotele ſignificatione quadam liberiore & minús diſtincta: ſed tamen interim hoc theorema ethicum proponitur, extrema videlicet magis inter ſe oppoſita eſſe, quám ad medium collata: qua ratione effuſio & avaritia magis repugnant, quám effuſio & liberalitas, vel avaritia & liberalitas. *Sic homo*] Tertium exemplum phyſicum eſt & de rebus phyſicis, quarum plures idem eſſe non poſſunt, ſed tamen certa diſſenſionis lege non opponuntur, ut homo, lapis, arbor, aqua, terra, ignis, aër, cœlum, &c. *Virgilius*] Quartum exemplum poëticum eſt, ubi Aeneas apud Virgilium diſputat Venerem, quæ Spartanæ virginis habitū ſimulabat, deam tamen eſſe: Argumentum ſumitur à repugnātibus: Virgo non eſt mortali vultu, nec humana voce: Dea igitur eſt.

COMPARATA.

Comparata, ſunt quæ inter ſe conferuntur: Ea ſunt in quantitate aut qualitate: quantitas autem eſt par vel impar.

Comparata] Simplicia argumenta in tribus generibus conſiderata ſunt, quorum primum fuit in cauſſis & effectis, alterum in ſubjectis & adjunctis, tertium in oppoſitis, ſupereſt quartum; ſimplicis argumenti genus é comparatis: Definiuntur comparata, quæ inter ſe conferuntur: *συμβλητὰ* dicuntur in Topicis decimo tertio capite libri primi, ut comparatio ipſa, *σύγκρισις* capite quarto libri primi, & capite quarto libri tertii: quæ definitio facilius intelligetur per partes comparationis: In

comparatis

comparatis autem duo intelliguntur: est enim res de qua agitur,& quæ ei comparatur: πρότασις καὶ ἀπόδοσις, propositio & redditio dicuntur: sed usus varius: modó enim argumentum proponitur,modó res redditur,modó contrá,ut in exemplis perspicies. Ea sunt] Comparata dividuntur ex suis subjectis,ut alia sint ἐν τῇ ποσότητι,in quantitate,alia ἐν τῇ ποιότητι, in qualitate: Nam omnis comparatio circa quantitatem vel qualitatem versatur. Comparatio quantitatis appellatur á Mathematicis λόγος,ratio: quantitati autem duæ propriæ affectiones attribuuntur, æqualitas vel inæqualitas. Aristoteles nomine quantitatis bifariam utitur:In Categoris enim & in Philosophia decimo tertio capite libri quinti, quantitatem solummodo statuit in numero & magnitudine:quæ definitio nec logica est, nec satis generalis:idem veró secundo capite libri quarti,& tertio capite libri undecimi Philosophiæ generaliter definit, cũ docet ἰσότητα καὶ ἀνισότητα, πρώτας τὸ ὄντος διαφορὰς· æqualitatem & inæqualitatem,primas esse entis differentias:itemque τὰ εἴδη καὶ τὰ καθ' αὐτὰ πάθη, species & per se affectiones: ideoque omne ens æquale esse vel inæquale:quæ consideratio ad hunc generalem logicæ inventionis locum veré ac propriè pertinet, ut quantitas in omni entium & non entium genere sit, qua res æquales sint vel inæquales: Quinetiam Aristoteles in Topicis ex eo quód attributa ὁμοίως, ἧττον, μᾶλλον ὑπάρχει, pariter minús,magis insunt, genera quantitatis definivit. Plato in Parmenide licet aperté divisionem quantitatis non demonstret, species tamen ostendit his verbis. Ἆρ' οὖν καὶ ἴσον ἔστι, καὶ ἄνισον, αὐτῷ τε καὶ τοῖς ἄλλοις; πῶς εἰ μεῖζον εἴη τὸ ἓν ἢ τ' ἄλλα, ἢ ἔλαττον· ἢ αὖτ' ἄλλα τοῦ ἑνὸς μείζω ἢ ἐλάττω, ἆρα οὐ ἂν τῷ μὴ ἓν εἶναι τὸ ἓν, καὶ τ' ἄλλα ἄλλα τοῦ ἑνός, ὅτι τί μείζω, ὅτι τί ἐλάττω ἂν, εἴη ἀλλήλων αὐταῖς καὶ ταύταις ταῖς οὐσίαις; An aliquid est æquale & inæquale & sibiipsi & aliis? Quomodo? Si quid unum majus esset aut minus aliis:aut si alia majora aut minora existerent,quám illud unum: an non unum, qua ra-

tione unum eſt,& alia,qua ratione diverſa ſunt ab uno, majora aut minora inter ſe fuerint propriis & ſuis eſſentiis?Ibidem : καὶ ὅταν μεῖζον καὶ ἔλαττον καὶ ἴσον, αὐξάνεσθαί τε καὶ φθίνειν καὶ ἴσεσθαι · quando majus & minus & æquale aliquid, oportet creſcere, decreſcere & æquari.

PARIA.

Paria igitur ſunt, quorum eſt una & eadem quantitas: Argumentum igitur paris erit, cúm par explicatur á pari : Atque aliquando argumẽtum hoc ſuis notis exprimitur, ut par, æquale, æquare,idem,tantum, quantum, tantó quantó: &,non magis,non minus.

—Par *levibus* ventis,

ait Virgilius ſecundo Æneidos. Paria cognoſco eſſe iſta in L. Muræna: atque ita paria, ut neque ipſe dignitate vinci potuerit, neque te dignitate ſuperarit.

Et nunc æquali tecum pubeſceret ævo,

Virgilius tertio Æneidos.

—*Illa inclyta Roma*
Imperium terris,animos æquabit olympo,

ſexto Æneidos. Cujus res geſtæ atque virtutes iiſdem,quibus Solis curſus,regionibus ac terminis continentur. Cicero 4. Catilinaria.

Tam ficti pravique tenax,quám nuntia veri,

Virgilius quarto Æneidos.

Littora quot conchas,quot amœna roſaria flores,
Quotque ſoporiferum grana papaver habet:
Sylva feras quot alit,quot piſcibus unda natatur,
Quot tenerum pennis aëra pulſat avis:

Tot

Tot premor adverſis: quæ ſi comprendere coner,
Icariæ numerum dicere coner aquæ,

Ovidius quinto Triſtium. Non magis juris, quã juſtitiæ cõſultus: neque conſtituere litium actiones malebat, quám controverſias tollere, Cicero nona Philippica.

Non minor eſt virtus, quám quærere, parta tueri,

Ovidius ſecundo de Arte. Aliquando nulla harum notarũ proponitur: Terentius in Adelphis:

Quando ego non curo tuum, ne cura meum.

Martialis quinto libro:

Cúm voco te dominum, nolo tibi Cinna, placere:
Sæpe etiam ſervum ſic reſaluto meum.

Sæpe in comparatione parium videmus paria paribus reprimi: Damœtas tertia Ecloga Virgilii proponit hoc ænigma:

Dic quibus in terris, & eris mihi magnus Apollo,
Tres pateat cœli ſpatium, non ampliús ulnas.

Cui Menalcas reſpondere non poteſt, ſed par reponit:

Dic quibus in terris inſcripti nomina regum
Naſcantur flores, & Phyllida ſolus habeto.

Sic aliquando ex oppoſitis par efficitur ratio, quæ in relatis & privantibus certa eſt: interdum etiam in adverſis: Pater, eſt filii dominus: Filius igitur, eſt patris ſervus: Viſus, eſt habitus ſenſus: Cæcitas igitur, eſt privatio ſenſus. Cicero quinto de Finibus: Et quoniam hæc ducuntur de corpore, quid eſt cur non rectè pulchritudo etiam ipſa propter ſe expetenda ducatur? Nam

ſi pravitatem imminutionemque corporis propter ſe fugiendam putamus, cur non etiam, ac fortaſſis magis propter ſe formæ dignitatem ſequimur? & ſi turpitudinem fugiamus in ſtatu & motu corporis, quid eſt cur pulchritudinem nō ſequamur?

Paria igitur] Comparatio parium, ut ait Cicero in Topicis, nec elevationem habet, nec ſubmiſſionem: eſt enim æqualis: Multa ſunt autem, quæ æqualitate ipſa comparantur, quæ ita concluduntur: Si conſilio juvare & auxilio, æqua in laude ponendum eſt, pari gloria debent eſſe, qui conſulunt & qui defendunt. Sic in Philoſophia decimo quinto capite quinti Ariſtoteles definit ἴσα, ὧν τὸν πόσον ἕν· æqualia, quorum quantitas una & eadem: Et in Rhetoricis viceſimotertio ſecundi dicitur, ἴσον τὸ μήτε μᾶλλον, μήτε ἧττον, quod neque majus, neque minus. *Argumentum igitur*] Definitio parium ab Ariſtotele comprehenditur axiomate Topico & Ariſtoteleo: ὁμοίως ὑπαρχόντων εἰ τὸ ἕτερον μὴ ὑπάρχει, μηδὲ τὸ λοιπὸν· εἰ δὲ θάτερον, καὶ τὸ λοιπόν· Pariū ſi alterum non ineſt, neq; reliquū: ſi veró alterū, & reliquū: ut Ariſtoteles docet capite quarto ſecūdi Topici. Ideoq; valet hic locus εἰς ἀμφότερα· in utranque partem, ad affirmandū & negandum, ut eſt quarto capite tertii Topici. At iſta inventionis doctrina per judicii doctrinam præpoſtera eſt, ideoque omnia ejuſmodi judiciaria axiomata á Topica doctrina ſeparanda ſunt. *Atque aliquando*] Aequalitatis genera nulla vera ſunt: unū uni, duo duobus, tria tribus æqualiter conferri poſſunt: diſtinctiones tamen aliquot hujus comparationis, gratia facilioris doctrinæ adhibentur: argumentum igitur á paribus interdum ſingulis vocabulis ſignificatur, videlicet certis notis, cujuſmodi ſunt par, æqualis, æquare, idem, tantum, quantum, tot, quot: Itemque negatio majorum aut minorum, ut non magis, non minús, ut propoſitis exemplis ſatis conſtat.

Interdum

Interdum nulla] Alter modus comparationis æqualium oſtenditur, in quo nulla eſt talis nota collationis: & exemplis declaratur. *Sic aliquando*] Ariſtoteles tertio capite ſecundi Topici hanc συμπλοκὴν, complexionem docuit, ubi nulla eſt, ſicut ipſe teſtatur, oppoſitio: appellatque ἐπὶ τῶν τὰ ἀκολούθησιν, ad eadem & paria conſecutionem: quæ ſicut ipſe ait, in relatis & privantibus firma eſt: in adverſis & cõtradicentibus nec perpetua, nec catholica eſt: ut, Candor eſt jucundus: ergo nigror eſt injucundus: vel, Homo eſt animal: ergo non homo eſt nõ animal: utrunque vitioſé concluditur. Ariſtoteles tamen hic etiam magis κριτικὴν quám τοπικὴν interpretatur.

MAJUS.

Impar, eſt majus aut minus: Majus cúm minus explicatur á majori: Atque hic interdũ propriæ notæ ſunt hujus comparationis: ut, non ſolúm, ſed etiam: cúm, tum: malo hoc, quám illud. Cicero pro Muræna:

Tollitur é medio——

non ſolúm iſta verboſa ſimulatio prudentiæ, ſed etiam illa domina rerum

——Sapientia, vi geritur res:

Spernitur orator——

non ſolúm odioſus in dicendo, aut loquax, verúm etiam

——Bonus, horridu' miles amatur.

Cicero ſecunda Agraria, cúm de ſolicitudine Conſulatus loquitur: Quæ cúm omnibus eſt difficilis & magna ratio, tum veró mihi præter cæteros. Juvenalis Satyra octava:

Malo pater tibi ſit Therſites, dum modó tu ſis

Æacidæ ſimilis, Vulcaniaque arma capeſſas,
Quám te Therſitæ ſimilem producat Achilles.

Sæpe ſine ulla harum notarum hoc argumentum tractatur: Cicero pro Muræna: Noli tam eſſe injuſtus, ut cúm tui fontes vel inimicis tuis pateant, noſtros rivulos, etiam amicis putes clauſos eſſe oportere. Virgilius primo Æneid.

O ſocii! (neque enim ignari ſumus anté malorum)
O paſſi graviora! dabit deus his quoque finem.

Impar.] Compatatum impar duplex eſt, majus aut minus. Majus definitur ſimpliciter ex ſuo relato, ut ipſa nempe argumenti natura poſtulat: Ariſtoteles autem definit ex judicii lege atque enuntiationis natura, quæ difficiliús vera ſit: Sic enim ait 4. cap. 2. Topic. εἰ ᾧ ἧττον εἰκὸς ὑπάρχειν, ὑπάρχει, καὶ ᾧ μᾶλλον· ſi cui licet minús ineſſe, tamen ineſt, & cui magis: ex quo axiomate poſſimus tantúm affirmaté argumentari, nunquam negaté: ut ibidem & 3. Top. ait: Miles potuit expugnare urbẽ, ergo & exercitus poterit: rata eſt conſecutio ex affirmatione: At miles non potuit expugnare urbem: ergo exercitus non poterit: inconſtans eſt ratio ex negatione. At ὑστερολογία eſt, partes inventionis judicii legibus definire: atque omnino iſta attributi in ſubjecto velut ὑπαρξις, & tanquam diceres inexiſtentia, ad judicium attinet, non ad inventionem, in qua res per ſe & ſolæ conſiderandæ ſunt, non quatenus ſubjiciuntur huic attributo, aut illi ſubjecto attribuuntur. *Atque hic*] Majora duobus modis tractantur, ſicut paria: uno, appoſitis certis notis, majorum quantitatem exprimentibus, quales ſunt, non ſolúm, ſed etiam: cúm, tum: malo hoc, quám illud: imó veró, quinetiam, præcipué, ut intelliges ex proximis exemplis. *Tollitur é medio*] Hæc formula comparationis frequens eſt, cúm ita loquimur, non ſolúm &c. ſed etiam &c. ubi major pars (non ſolúm) quæſtionem continet: altera veró (ſed etiam) argumentum majorũ:

Itaque

Itaque hujus comparationis ſententia eſt: Tollitur domina rerum ſapientia, quid mirum igitur, ſi verboſa ſimulatio prudentiæ tollitur? Ex hoc loco ſunt quædam rhetoricæ gradationes. Cicero pro Milone: Neque verò ſe populo ſolùm, ſed etiam Senatui tradidit: neque Senatui modò, ſed etiam publicis præſidiis & armis: neque his tantùm, verùm etiam ejus poteſtati, cui Senatus totam Rempub. omnem Italiæ plebem, cuncta populi arma commiſerat. *Quæ cùm omnibus*] Aliud exemplum eſt, ubi particulæ (cùm & tum) ſignificant genus collationis, atque ita concludunt: Ciceroni imprimis eſt ardua provincia tuendi Senatus, & difficilis igitur eſt aliis omnibus. *Malo*] Malo tibi patrem eſſe peſſimum, dum modò tu ſis generoſus & fortis, quàm patrem tibi eſſe optimum, ut tu ipſe ſis peſſimus. *Sæpe ſine*] Sæpe nulla nota majoris quantitatis ponitur, inæqualitas tamen nihilominùs intelligitur: Exemplum autem pro Muræna preſſiùs ita tractatur: Sulpitius vel inimicis ſuis abundantiſſimè conſulit: quare Cicero ſuis amicis ſaltem mediocriter conſulere debebit. O *ſocii!*] Aeneas tempeſtate afflictus & in Libyam dejectus, ſocios conſolatur: Vos (ait) graviora mala paſſi eſtis, levia igitur, ſi quæ acciderint, facilè pati poteritis.

MINUS.

Minus eſt, cùm majus explicatur á minori. Quod etiam ſæpe fit propriis notis. Cicero nona Philippica: Omnes ex omni ætate, qui in hac civitate intelligentiam juris habuerunt, ſi unum in locũ conferantur, cum Servio Sulpitio non ſunt conferendi. Sic Ovidius tertio de Triſtibus:

Sævior es triſti Buſiride, ſævior illo,
Qui falſum lento torruit igne bovem.

Sic Virgilius Ecloga prima:

Anté leves ergo paſcentur in æthere cervi,
Et freta deſtituent nudos in littore piſces:
Anté pererratis amborum finibus, exul
Aut Ararim Parthus bibet, aut Germania Tigrim,
Quám noſtro illius labatur pectore vultus.

In his omnibus exemplis minus adhibetur ad majoris explicationem. Atque hujus ejuſdem ſpeciei ſunt hæ formulæ, quæ fiunt etiam negatione paris aut majoris: Cicero ſecũda Catilinaria: Non tam hæc quæruntur, quám verentur: Et ibidem: Nemo non modó Romæ, ſed ne ullo in angulo totius Italiæ oppreſſus ære alieno fuit, quem non ad hoc incredibile ſceleris fœdus aſciverit. Hoc etiam argumentum diſſeritur ſine ulla nota: Cicero pro Marcello: Tantúm abes à perfectione ſummorum operum, ut fundamenta, quæ cogitas, nondum jeceris: Ovidius primo de remedio Amoris:

Ut corpus redimas, ferrum patieris & ignes,
Arida nec ſitiens ora levabis aqua:
Ut valeas animo, quicquam tolerare negabis?
At pretium pars hæc corpore majus habet.

Ovidius indicat hic argumenti ſui genus.

Minus eſt] Hæc item definitio ex natura minorũ ſumpta, Ariſtoteles tamen hic etiam ὑστερολογίαν ſuperiori ſimilem adhibet. εἰ ᾧ μᾶλλον εἰκὸς ὑπάρχει, μὴ ὑπάρχει, ὅτε ᾧ ἧττον: Nam ſi cui magis par eſt ineſſe, non ineſt, neque cui minús, ait quarto capite ſecundi Topici: Ideoque tantúm valet collatio hæc ad negandum, ait ibidem: *Quod ſæpe fit*] Comparatio minorum duobus item modis tractatur, ſicut parium & majorum: nam aliás notæ quædam indices collationis adhibentur, aliás omittuntur.

mittuntur. Prioris modi exempla varia ſunt, ut diſſerendi varietas in hoc genere demonſtretur.

Omnes ex omni] Hæc collatio negatione parium proponitur: Nam ſi dixeris, Omnes juris periti ſunt cum Sulpitio comparandi, paria hæc ſunt: quæ ſi negentur, in collationem minorum recident. *Sævior es*] Alterum exemplum eſt per nomen comparationis, quæ ſit eſt explicanda: Buſiris fuit tyrannus ſævus, ſed minús ſævus, quám tu. *Anté leves*] Aliquando majorum ſpecies indicatur, ſed tamen res ipſa minus quiddam eſt & facilius: ſic Tityrus Virgilianus ait facilius eſſe cervos in aëre paſci, quám Auguſti nomen ex ejus animo excidere. *Atque hujus ejuſdem*] In collatione minorum aliquando pat negatur, ut, Non tam hæc quæruntur, quám verentur: aliquando majora, ut, Nemo non modó Romæ, ſed ne ullo in angulo totius Italiæ oppreſſus ære alieno fuit, &c. *Hoc etiam argumentum*] Secundus collationis minoris modus eſt, qui nulla certa nota exprimitur, ut pro Marcello: Tantúm abes &c. Cujus argumenti vis negatione minoris intelligitur, ut tollatur majus: Cæſar nondum fundamenta jecit: nondum igitur opus abſolvit: eaque lex ex attributis ſumitur, ut, Si quid non ineſt rei, cui magis videtur ineſſe, neque inerit ei, cui minús ineſſe videbitur.

COMPARATIO IN QUALITATE *& primó ſimilium.*

Sequitur cõparatio in qualitate, ſimilitudo & diſſimilitudo: Similia igitur ſunt, quorum qualitas eſt una: habẽt item ſuas notas: Cicero nona Philippica: Quanquã nullũ monimentũ clarius Servius Sulpitius relinquere potuit, quám effigiẽ morum ſuorum, virtutis, conſtantiæ, pietatis, ingenii, filium. Ovidius primo Triſtium:

Namque ea vel nemo, vel qui mihi vulnera fecit,
ſolus Achilleo tollere more poteſt.

Aliquando nota ſimilitudinis apertior eſt, & ſimilitudo evidentiús utrinque explicata: Ovidius primo Triſtium:

Scilicet ut fulvum ſpectatur in ignibus aurum,
Tempore ſic duro eſt inſpicienda fides.

Cicero ſecunda Philippica: Sed nimirum ut quidam morbo & ſenſûs ſtupore ſuavitatem cibi non ſentiunt; ſic libidinoſi, avari, facinoroſi, veræ laudis guſtum non habent. Aliquando nulla prorſus eſt nota: Virgilius Ecloga ſecunda:

O formoſe puer, nimiúm ne crede colori,
Alba liguſtra cadunt, vaccinia nigra leguntur.

Exempla, fabulæ Æſopicæ & parabolæ Socraticæ, ſunt hujus comparationis: cujuſmodi eſt quam Cicero tranſtulit à Socratico Æſchine, in qua Aſpaſia mulier erudita Xenophontem & ejus uxorem admonet, quo pacto quám maximé inter ſe ament. Dic mihi quæſo Xenophontis uxor, ſi vicina tua melius habeat aurum, quám tu habes, utrúm illius, an tuum malis? Illius, inquit. Et ſi veſtem & cæterum ornamentum muliebre pretii majoris habeat, quám tu habes, an illius malis? Illius veró reſpondit. Agé veró, ſi virum illa meliorem habeat, quám tu habes, an illius malis? Hic mulier erubuit: Aſpaſia autem cũ ipſo Xenophonte ſermonem inſtituit. Quæſo, inquit, ſi vicinus tuus meliorem equum habeat, quám tuus eſt, tuumne equum malis, an illius? Illius inquit. Quód ſi meliorem fundũ habeat, quám tu habes, utrúm tandem illius malis? Illius inquit,

inquit, meliorem ſcilicet. Quód ſi uxorem meliorem habeat, quám tu habes, utrúm illius malis? Atque hic Xenophon quoque ipſe tacuit: póſt Aſpaſia: Quoniam uterque veſtrum, inquit, id mihi non ſolúm reſpondit, quod ego ſolum audire volebam, egomet dicam, quid uterque cogitet: Nam & tu mulier, optimum virum mavis habere: & tu Xenophon, uxorem lectiſſimā maximé habere vis: Quare niſi hoc perfeceritis, ut neque vir melior, neque fœmina lectior in terris ſit, profectó id quod ſemper optimum putabitis eſſe, multó maximé requiretis: & tu ut maritus ſis cum optima muliere, & hæc quám optimo viro nupta ſit. Atque hæ fictæ ſimilitudines populares ſunt, idque boni in ſe continent, quód cúm difficile ſit res veras ſimiles invenire, parabolas fingere facile ſit: attamen exempla rerum factarum commodiora ſunt.

Sequitur comparatio in qualitate] Comparatio in qualitate declaratur per ſpecies, ſimilitudinem & diſſimilitudinem, & per diſtinctionem qualitatis, quam quidem Ariſtoteles in Categoriis octavo capite ſpecialiter, & non logicé uſurpat, cúm ei ſubjicit habitum & diſpoſitionem: In Philoſophia autem capite decimo quarto libri quinti, ſignificationem ejus veré logicam exponit, cúm ὁμοιότητα, καὶ ἀνομοιότητα ſimilitudinem & diſſimilitudinem, πρώτας τῦ ὄντος διαφορὰς, primas entis differentias efficit, quia quodlibet cuilibet comparatum ſimile ſit aut diſſimile: & ſic logicé decet accipi, ut qualitas id omne ſit, quo res qualis eſſe dicitur, ſive eſſentiā compares cum eſſentia, ſive accidens cum accidente. Species igitur comparationis in qualitate, ſunt ſimilitudo & diſſimilitudo, quæ generali qualitatis ſignifica-

tione vocantur ab Aristotele in Philosophia secundo capite quarti & tertio undecimi, primæ differentiæ entis, quemadmodum paulò antè dictum est. Galenus in opere de Placitis Hippocratis & Platonis, comparationem similium & dissimilium mirum in modum celebravit, ὧν ἀκριβῆ γνῶσιν εἰς μεθοδικὴν ἁπάσης τέχνης σύστασιν, quorum accuratam cognitionem ad methodicam cujuslibet artis constitutionem, maximè idoneam videri docuit: similiaque & dissimilia in his rebus internosci, quæ sub sensus caderent: ideoque multa exempla ex Platone citat ad extollendam collationem similium & dissimilium. *Similia*] Similia sunt, quorum qualitas est una, ut Aristoteles ait decimoquinto capite quinti Philosophiæ: ὅμοια, ὧν ποιότης μία. Et valet in utranque partem ista collatio, ut Aristoteles docet Topici quinti capite quarto & quinto. Similitudo vocatur in Topicis ἀναλογία, proportio, quinto capite quinti, sicuti primi Posteriorum capite quinto: In Rhetoricis duodecimo capite ad Alexandrum, παρομοίωσις· aliquando ἑνότης καὶ ταυτότης, unitas & identitas in Philosophia dicitur; tametsi ἑνότης potiùs genus quoddam est, ut ταυτότης, sit ἑνότης essentiæ: ὁμοιότης verò, sit ἑνότης qualitatis: His in rebus Aristoteles multus est, ut in Philosophia sexto & nono & decimoquinto quinti & toto decimo.

Habent item] Similia, ut cætera comparata, suis etiam notis indicantur: aliàs breviùs, ut Philippica nona: quo in exemplo nota similitudinis, est effigies, qua declaratur Sulpitius esse patris similis. *Nanque ea*] Solus Augustus potest sanare Ovidium, qui solus eum afflixit, more Achillis, qui Telephum, quem vulnerarat, repercussum sanavit. *Aliquando nota*] Similitudo planè & evidenter expressa, duas habet partes, protasim & apodosim: Notæ protaseos sunt: Quemadmadum, ut, sicut, veluti: Notæ apodoseos, Sic, ita, non secùs, non aliter, eodem modo, &c. Cùm itaque singulis partibus singulæ notæ redduntur, tum similitudo illustrior efficitur, ut exempla duo declarant. *Aliquando nulla*] Potes distinctionis

ſtinctionis gratia, appellare hoc ſecundum genus ſimilium, in quo nulla nota exprimitur. *Exempla*] Ariſtoteles in Rhetoricis capite viceſimo libri ſecundi, παραδείγματος nomine feré totam collationem ſimilium cõplectitur, quód alia ſint rerum factarum, alia futurarum: ex quo genere ſunt fabulæ Aeſopi, quæ ducere ſolent animos præcipué ruſticorum & imperitorum, ut ait Fabius: & parabolæ Socratis, in quibus fuit homo divinus & imprimis excellens, ut libri diſcipulorum ejus teſtantur. *Dic mihi*] Hoc exemplum citat Cicero libro ſecundo de Inventione, & Quintilianus libro quinto. *Atque hæ fictæ*] Lege Ariſtotelem capite viceſimo libri ſecundi ad Theodoctem, ubi inter ſimilitudines, appellantur οἱ λόγοι δημωφελεῖς. De argumento ſimilitudinis diverſum fuit duorum philoſophorum judicium: Euclides Megaricus τὸν διὰ παραβολῆς λόγον tollebat, quia ſimilibus aut diſſimilibus conſtaret: ac ſi conſtaret ex ſimilibus, ad res potiús, quibus ea eſſent ſimilia, reſpiciendum eſſe: ſin é diſſimilibus, παρέλκειν τὴν παράθεσιν, collationem inutilem eſſe: ſic enthymemate captioſo ex argumentis clariſſimum Euclides carpebat, ut eſt apud Laërtium in ejus vita: At Empedocles, ut eſt in tertio Philoſophiæ Ariſtotelis, longé ſecús omnia videbatur ſimilitudinis argumento tribuere: ἡ δὲ γνῶσις τῷ ὁμοίου, τῷ ὁμοίῳ· γαῖαν μὲν γὰρ, φησὶ, γαίῃ ὁπώπαμεν, ὕδατι δ' ὕδωρ, αἰθέρι δὲ αἰθέρα δῖον, σαρκὶ τε σαρκὸς, νεῖκός τε νείκει λυγρῷ· Cognitio autem ſimilis, fit ſimili: terra enim, inquit, terram inſpicimus, aqua verò aquã, ac amicitia amicitiam, & contentionem contentione perniciosa.

DISSIMILIA.

Diſſimilia ſunt, quorum qualitas eſt diverſa: appellantur etiam differentia, ut diſſimilitudo & differentia pro eodem capiuntur. Diſſimilium argumentum notis ſuis etiam deducitur, Cicero

pro Plancio: Quanquam diſſimilis eſt pecuniæ debitio & gratiæ. Cicero primo Epiſtolarum ad fratrem: Sit annulus tuus non tanquam vas aliquod, ſed tanquã ipſe tu. Horatius primo Epiſt.

Non eadem eſt ætas, non mens.—

Diſſimilitudo eſt valdé frequens in hac formula, Quanquam, tametſi: Virgilius ſecundo Æneidos:

Hic Priamus, quanquã in media iam morte tenetur,
Non tamen abſtinuit, nec voci iræque pepercit.

Et longé frequentior hoc modo, Non hoc, ſed illud: Ovidius ſecundo de Arte:

Non formoſus erat, ſed erat facundus Ulyſſes.

Præterea pauló ſecús in Eunucho:

Nam ſi ego digna hac contumelia
Sum maximé: at tu indignus qui faceres tamen.

Sunt præterea multi comparationis hujus modi: Martialis quinto libro:

Sum fateor, ſemperque fui, Calliſtrate, pauper:
Sed non obſcurus, nec malé notus eques.
Sed toto legor orbe frequens, & dicitur, Hic eſt:
Quodque cinis paucis, hoc mihi vita dedit.
At tua centenis incumbunt tecta columnis,
Et libertinas arca flagellat opes:
Magnaque Niliacæ ſervit tibi gleba Syenes,
Tondet & innumeros Gallica Parma greges.
Hoc ego, tuque ſumus: ſed quod ſum, nõ potes eſſe:
Tu quod es, é populo quilibet eſſe poteſt.

Cicero tertio de Oratore: Non eſt enim philoſophia ſimilis artium reliquarum: Nam quid faciet

faciet in Geometria, qui non didicerit? quid in Muſicis? aut taceat oportebit, aut ne ſanus quidem judicetur: hæc verò quæ ſunt in philoſophia, ingeniis eruuntur ad id, quod in quoque veriſimile eliciendum acutis atque acribus: eaque exercitata oratione poliuntur. Interdum nulla nota eſt: Catullus:

Soles occidere & redire poſſunt:
Nobis cúm ſemel occidit brevis lux,
Nox eſt perpetua una dormienda.

Diſſimilia] Comparata in qualitate, ſunt ſimilia aut diſſimilia: Similibus expoſitis, diſſimilia deinceps docentur definitione, diviſione & exemplis: Definiuntur itaque diſſimilia, quorum eſt qualitas diverſa, & appellantur à Græcis ἀνόμοια, διάφορα, ἕτερα, ἄλλα· á Latinis diſſimilia, differentia, altera, alia: Ideoque ἀνομοιότης, διαφορὰ, ἑτερότης· diſſimilitudo, differentia, & ut ſic loquar, alteritas. Ac cúm differentia rerum ſumatur ex omnibus argumentis: ἰδιαίτατα autem, id eſt maximé proprié ſumatur é forma: forma ipſa ab Ariſtotele differentiæ nomine ſæpiſſimé dicitur: ambiguitatis tamen vitandæ gratia, formæ nomen in cauſſis anté adhibitum eſt, differentiæ nomen nunc adhibetur, quia ſimilitudini proprié differentia opponitur: & ſic Ariſtoteles primo Topico opponit. *Diſſimilium*] Partitio diſſimilium ex adjunctis ſumitur, ut partim certas notas habeant, partim illis careant: Prior modus illuſtratur variis exemplis. Sunt autem notæ diſſimilium, Quanquam, tamen, non, ſed, diſſimile, diverſum, differens, non idem: Itemque, contrá, & ſimilium notæ per negationem propoſitæ, non quemadmodum, non talis, non ſicut. *In hac formula*] In ejuſmodi loquendi formula, quanquam, ſignificat protaſim diſſimilitudinis, tamen, antapodoſim, id eſt reddítionem diverſam atque diſſi-

milem. *Et longé frequentior*] Omnium diſſimilitudinis notarum longé frequentiſſima eſt, non hoc, ſed illud: Pro lege Manilia: Non victoriam, ſed victoriæ inſignia reportarunt. Quo é genere ſunt correctiones, quæ à Rhetoribus dicuntur, ut pro Roſcio Amerino: Quæ convivia? honeſta, credo, in ejuſmodi domo: ſi domus eſt habenda potiús, quám officina nequitiæ & diverſorium flagitiorum omnium. Nec aliud eſt correctio, quám diſſimilis objectio. *Interdum nulla*] Secundus eſt modus tractandæ diſſimilitudinis, cúm nulla nota adhibetur, quæ diſſimilium collationem ſignificet.

Soles occidere] Catullus invitat Lesbiam ad delitias, quæ poſt mortem nullæ futuræ ſint: ubi Sol & vita diſſimiliter comparãtur, quód ille ſæpius abeat & redeat, hæc nobis ſemel erepta, nunquam redeat: quod carmen Epicureum & impium eſt: Protaſis eſt in primo verſu, antapodoſis in reliquis duobus.

ARGUMENTA A PRINCIPIbus orta, ac primúm Notatio.

Hactenus principum argumẽtorum loci ſunt expoſiti, ſequuntur orta de principibus, Nomen, diſtributio, definitio: Nomen, cúm argumẽtum é nomine ducitur, ut notatio & conjugatio. Notatio, eſt nominis interpretatio: nomina ſiquidẽ, ſunt inſtrumenta rerum, nominumque vel derivatorum vel compoſitorum (ſi vera notatione fiant) ratio reddi poteſt: ut animoſus, animi plenus: homicida, qui hominem occidit. Cicero ſecunda Philippica Bambalionem ſocerum Antonii hoc argumento cavillatur: Tuæ conjugis, bonæ fœminæ, locupletis quidem certé, Bambalio quidam pater, homo nullo numero, nihil illo

con

contemptius, qui propter hæsitantiam linguæ stuporemque cordis, cognomen ex contumelia traxerit. Ejusmodi facetiæ ex hoc loco sæpe ducuntur.

Hactenus] Transitus fit á primis argumentis, ad ea quæ sunt de primis orta: eaque tribus generibus comprehenduntur, nomine, distributione & definitione: nominis enim notatio, sicut conjugatio, ex quatuor primis petuntur, sicut distributio atque etiam definitio: qua de caussa, dicuntur argumenta á primis orta, quæ primorum quidem unde ducuntur, symbola quædam sunt, sed inventionis viam dissimilem ostendentia.

Nomen] Nomen generatim definitur & dividitur: Definitur argumentum ex vi vocabuli sumptum, dividiturque in notationem & conjugationem: Notatio, est interpretatio nominis: Græci, ut ait Cicero in Topicis, ἐτυμολογίαν vocarunt, id est, verbum ex verbo, veriloquium: Nos autem novitatem verbi non satis apti fugientes, genus hoc, notationem appellamus: quia sunt verba, rerum notæ. Itaque hoc idem Aristoteles σύμβολον appellat, quod Latiné est nota: Sed tamen nos hoc loco non instituimus notatione rerum, quæ sunt ipsa nomina, sed nominum ipsorum explicationes, origines, atque deductiones, quibus vis & natura nominum probari demõstrarique possit. Notatio autem á Grammaticis & Dialecticis dissimili ratione tractatur: ab illis, ut accidentia dictionum doceantur: ab his, ut ex origine & natura res ipsi significationi subjecta arguatur & probetur. Sunt etiam qui originationem potiús vocant, ut scribit Fabius, quód origines & caussas nominum aperiat, unde orta ductaque sint. De notatione in Cratylo Platonis, longa est disputatio: Nam cúm Cratylus nomina, rerũ naturali quadam veritate; Hermogenes hominum instituto & leges tantúm constare diceret, Socrates tanquam honoratius arbiter, controversiam in hunc modum disceptat: Nominum quædã esse

vera, quæ ſubſtantias rerum nominatarum ſignificent, & quorum recta ratio reddi poſſit: quædam eſſe falſa, quorum notatio diverſa ſit á re, quæ nominatur: quædã eſſe primitiva, quorum origo barbara ſit, aut certé nobis ignota: Itaque nomina quidem arbitrio hominum conſtare, ſed ſæpe ſapiente & rerum naturis nomina ipſa accommodante, qualia multa & divina & non divina Socrates in Cratylo interpretatur. Notatio appellatur ab Ariſtotele aliás λόγος ὀνοματώδης, definitio nominalis, ut decimo capite libri ſecundi poſteriorum Analyticorum: aliás λόγος ὀνόματος, definitio nominis, ut ſecundo capite Topici ſecundi: aliás τόπος ἀπὸ τοῦ ὀνόματος, locus á nomine, ut capite viceſimo tertio ſecundi Rhetorici: & Topico ſecundo inter locos argumentorum notatio ponitur. *Tuæ conjugis*] Cicero jocatur in Bambalionem ſocerum Antonii ex ficta nominis interpretatione, quaſi Bambalio dictus ſit á balbutio. *Ejuſmodi*] Notatio valet ad jocandum, cúm interpretatio nominis moribus perſonæ convenit: Sic Cicero nũc Verrem á verrendo, nunc á verre porco non caſtrato quaſi dictum fingit: & Philippica quinta jocatur in Lyſidicum: Lumen, ait, & decus illius exercitus pené præterii, Caninium Cymbrum Lyſidici filium: Lyſidicum ipſum in verbo Græco, qui omnia jura diſſolvat.

CONJUGATIO.

Conjugatio, eſt nominum ejuſdem generis varia collatio, ut juſtitia, juſtus, juſté: in conjugatis ſymbolum cauſſarum & effectorum continetur: primum ſiquidem conjugatorum illorum cauſſas reliquorum continet, ut juſtitia, cauſſa eſt, qua homo juſtus ſit, & quód juſté vivat. Cic. 2. Phil. Non tractabo ut Conſulem, ne ille quidẽ me ut Conſularem. Propertius ſecundo libro:

Libertas

Libertas quoniam nulli jam reſtat amanti,
Nullus liber erit, ſi quis amare velit.

Hic libertas, cauſſa eſt, cur ſis liber. Cicero tertio de Natura Deorum cúm de Dionyſio tyranno loquitur: Jam menſas argenteas de omnibus delubris juſſit auferre: in quibus quód more veteris Græciæ inſcriptum eſſet, BONORUM DEORUM, uti eorum bonitate velle ſe dicebat. Dii boni ſunt: eorum igitur bonitate eſt utendum.

Conjugatio] Secundum argumentum ex vi nominis ſumptum eſt, Conjugatio, eſt nominũ ejuſdem generis varia deductio, unde res cognatæ, quæ ipſis nominibus ſubjectæ ſunt, explicantur & docentur: ut ſi Ariſtides juſtus fuiſſe probetur, quia juſté vixit, juſtus & juſté ſunt cognata, ex quorum altero alterum demonſtratur. Ariſtoteles tertio capite ſecundi Topici σύστοιχα vocat nomina ipſa, id eſt cognata, ut juſta & juſtus & juſtitia: fortia, fortis & fortitudo: πτῶσις autem, id eſt caſus, adverbia, vt juſté & fortiter: ſed has diſtinctiones reliquis libris contemſit, in quibus hæc omnia, σύστοιχα καὶ πτώσεις, conjunctè & indifferenter nominantur: Et in Rhetoricis capite viceſimo tertio libri ſecundi, τόπος ἐκ τῶν συστοίχων τῶν καὶ ὁμοίων πτώσεων, locus á cognatis & ſimilibus caſibus dicitur. In Categoriis autem nomine paronymorum videtur ſpeciem aliquam conjugationis docuiſſe, cúm ea definit, quæ ab aliquo ſolo differentia caſu, ſecundum nomen habent appellationem: ſed ab Ariſtotele non ut argumenta ſunt, nec explicandæ quæſtionis alicujus gratia illic traduntur. Quod ad rationẽ nominis attinet, σύστοιχα, Latiné cognata dici poſſunt: Cicero in Topicis ad Trebatium, σύζυγα καὶ συζυγίαν, conjugata & conjugationem latiné eſt interpretatus. Et Fabius libro quinto: Hic, inquit, illud adjicere ridiculum putarem, niſi eo Cicero uteretur, quod conjugatũ

vocant, eos qui rem juſtam faciunt, juſté facere: quod certé probatione non eget. Conjugatio igitur & conjugatum ab authoribus Latinis in hac logica ſignificatione uſurpantur. *In conjugatis ſymbolum*] In conjugatis nomen unum, cauſſam reliquorum continet: ut exempli gratia, juſtitia, cauſſa eſt cur homo ſit juſtus & juſté vivat. Inventionis tamen in conjugatis ſymbolum aliud eſt. *Cicero tertio*] Cicero diſputat conjugatorum argumento ex Dionyſii ſententia: Dii ſunt boni, ergo eorum bonitate eſt utendum. Bonitas, cauſſa eſt, cur Dii ſint boni. Quatuor loci ab Ariſtotele præcipué laudantur in Topicis, oppoſita, comparata, conjugata & partes: Et cúm in Topicis libris ſæpe locus á cognatis citatur, tum nominatim commendatur capite quarto libri tertii: μάλιστα δὲ ἐπίκαιροι καὶ κοινοὶ τῶν τόπων, οἱ ἐκ τῶν συζυγῶν καὶ πτώσεων· Maximé verò ſunt opportuni loci ex conjugatis & caſibus. Itemque capite ſecundo Topici ſeptimi: εἰσὶ δὲ ἐπικαιρότατοι τῶν τόπων οἱ ἐκ τῶν πτώσεων καὶ συζυγῶν· διὸ καὶ δεῖ μάλιστα κατέχειν καὶ πρόχειρους ἔχειν τούτους, χρησιμώτατοι γὰρ πρὸς πλείστα· Opportuniſſimi verò ſunt é caſibus & conjugatis loci: itaque imprimis tenendi & in promptu habendi ſunt: ad res enim plurimas ſunt utiliſſimi.

DISTRIBUTIO, ET PRIMUM *ex cauſſis.*

Diſtributio, eſt diſtinctio totius in ſuas partes, quæ ſunt cauſſæ vel effecta: unde genera duo veræ diſtributionis exiſtunt, in quorum utroque veré & totum & partes nominantur: vel ſubjecta ſunt aut adjuncta, unde genera duo ſecundatiæ diviſionis fiunt, in quibus nec totum, nec partes veré ſunt: Itaque veræ diſtributionis primum genus eſt ex cauſſis totum conſtituentibus, partibus

tibus nempe toti eſſentialibus: ut humanæ animæ natura triplex eſt, vitæ, ſenſus, rationis, é quibus animæ noſtræ eſſentia componitur: Sic natura hominis componitur é corpore & animo: Atque cúm totum conſtet é partibus, hic propriè totũ & pars & partitio dicitur. Itaque hæc diſtributio, cúm longa quædam diſputatio tractatur, principalis eſt, ut quæ procedat é cauſſis, rei naturam conſtituentibus: qualis eſt in poëtis & oratoribus, cúm certas in partes totam quæſtionem diſtribuunt: Virg. 1. Georg.

Quid faciat lætas ſegetes, quo ſidere terram
Vertere, Mecænas, ulmiſque adjungere vites
Conveniat: quæ cura boum, quis cultus habendo
ſit pecori, atque apibus quãta experientia parcis,
Hinc canere incipiam.—

Cicero pro Muræna: Intelligo, Judices, tres totius accuſationis partes fuiſſe: & earum unam in reprehenſione vitæ, alteram in contentione dignitatis, tertiam in criminibus ambitus eſſe verſatam. Atque etiam ſeparatim tractatur hoc argumenti genus, vel á partibus ad totum, vel á toto ad partes.

Diſtributio] Diſtributio, διαίρεσις, diviſio eſt Ariſtoteli, aliquando etiam ἀνατομὴ, ſectio: cujus genera prima ſunt duo, unum verum, in quo & totum & partes veré nominantur: ut cúm dividitur totum integrum in ſuas partes, vel genus in ſuas ſpecies: alterum ſecundarium, in quo nec totum, nec partes veré ſunt: ut cúm dividitur adjunctum in res ſubjectas, vel ſubiectum in res adjunctas: Quanvis autem partes ἀντιπρμίναι, contra ſe diviſæ, ut Ariſtoteles ait tertio capite ſexti Topi-

ci, & opponi toti, & aliquo genere comparari poſſint: attamen in diſtributione totius in partes ſpectatur cõſenſio quædam prima & ſimplex: nec habetur vel oppoſitionis vel comparationis ratio. *Itaque prima*] Primum genus veræ diſtributionis primo loco definitur, cúm partes, totius naturam componentes, id eſt toti eſſentiales adhibentur: Ariſtoteles autem ait viceſimo quarto capite libri quinti in Philoſophia, ex cauſsis ſuis rem quamque conſtare: & ibidem viceſimo ſexto capite definitur ὅλον, ᾧ μηδὲν ἄπεστί μέρος, ἐξ ὧν λέγεται τὸ ὅλον φύσει· totum, á quo nulla pars abeſt earum, ex quibus totum natura dicitur: Et ibidem capite viceſimo quinto definiuntur μόρια, ἐξ ὧν σύγκειται τὸ ὅλον· partes, ex quibus totum componitur. *Atque cúm totum*] Totius & partis ſignificationes multæ numerantur in Philoſophia capite viceſimo quinto & viceſimo ſexto libri quinti: duæ tamen ſunt principes: totum primó dicitur, quod conſtat é partibus ipſum conſtituentibus, ut corpus membris ſuis eſt totum: Secundó, quod de partibus una & communi ratione dicitur, ut univerſale: Sic animal homini & pecudi comparatum, τὸ καθόλου, id eſt univerſale totum dicitur: Prima igitur ſignificatio totius & maximé germana illa fuerit, cúm res ex partibus integrantibus conſtabit: ejuſque diſtributio, verè partitio nominabitur. Plato in Parmenide quid totum ſit, & quid pars, oſtendit, cúm diſputat de ente & uno πῶς γὰρ ἄν; ὄντι ἄρα μέρος αὐτοῦ, ὄντι ὅλον αὐτὸ δεῖ εἶναι· τί δή; τὸ μέρος τοῦ μέρος ὅλου ἐστί. Ναὶ τί δὲ τὸ ὅλον; οὐχὶ ᾧ ἂν μέρος μηδὲν ἀπῇ, ὅλον ἂν εἴη; Qui ſit enim? neque igitur partem eſſe illius aliquam, neque totum ipſum eſſe oportet. Cur nam? Pars utique totius pars eſt. Quid verò? nonne totum eſt, cui nulla pars deeſt?

Itaque hæc diſtributio] In omni legitima diſputatione poſtquám res eſt propoſita & generatim definita, ſi poteſt ea in membra certa dividi, cõfeſtim dividenda eſt, ut á primis cauſsis rem ipſam conſtituentibus progrediatur oratio: hoc igitur genus partitionis ut arte & præceptis,

præceptis, ſic uſu & tractatione primum eſſe in diſſerẽdo debebit: quale proponitur á Virgilio initio Georgicorum: Nam hujus totius operis quatuor partes ſunt quatuor libris comprehenſæ & expoſitæ, cultura agri, vitium, pecoris, apum. *Atque etiam*] Uſus diſtributionis hujus laté patet. Affirmatione ſiquidem partium omnium, affirmatur totum, ait Ariſtoteles ſexto capite ſexti Topici: ἐν ὅις γαρ̀ τὰ μέρη, καὶ τὸ ὅλον ἀνάγκη ὑπάρχειν· In quibus enim partes, & totum neceſſe eſt ineſſe. Et hæc partium eſt ἐπαγωγὴ, inductio, quæ toties in Organo proponitur, ſicut in cæteris diſtributionum generibus, cúm ex partibus totum diſſeritur: Negatione verò partium non ſolúm omnium: ſed etiam quarundam, totum negatur, ait ibidem: ἀνάπαλιν γαρ̀ δεῖ συμβαίνειν τῶν μερῶν φθαρέντων, φθείρεσθαι τὸ ὅλον· Contrá enim neceſſe eſt accidere partibus ſublatis, tolli totum. Sic Catullus in amicam Formiani, de pulchritudine ex ejus aliquot partibus argumentatur:

Salve nec minimo puella naſo,
Nec bello pede, nec nigris ocellis,
Nec longis digitis, nec ore ſicco,
Nec ſanè nimis elegante lingua,
Decoctoris amica Formiani:
Ten' provincia narrat eſſe bellam?
Tecum Lesbia noſtra comparatur?
O ſeclum inſipiens & infacetum!

Atque hæc inductio etiam eſt, quæ aliquando fit unica parte, ut ait ibidem Ariſtoteles: τῦ γαρ̀ μέρους ἀναιρεθέντος, καὶ ὁ πᾶς ὁρισμὸς ἀναιρεῖται· Parte enim ſublata, tota definitio tollitur: Et generaliter quidem id verum eſt, Parte ſublata totum tollitur: Atque ſic proprié totum diſſeritur ex partibus, ut é cauſsis effecta diſſeruntur: Aliquando tamen & ex toto partes diſceptantur, quod affirmatum, partes vel omnes vel aliquot affirmat. Ibidem: οὐ ᾧ γαρ̀ τὸ ὅλον, οὐκ ἐκείνῳ δεῖ καὶ τὰ μέρη εἶναι· Nam in quo totum, in illo & partes eſſe neceſſe. Ibidẽ: τῦ δὴ ὅλου φθαρέντος, οὐκ ἀνάγκη καὶ τὰ μέρη ἐφθάρθαι· Toto

veró ſublato, non neceſſe eſt partes tolli. Sed hæc ariſtotelea axiomata judicium, non inventionem demonſtrant: & hic magis proprié ἀνατομὴ, quám διαίρεσις dicitur.

DISTRIBUTIO EX EFFECTIS, *ubi de genere & ſpecie.*

Secunda diſtributionis ſpecies eſt, ex effectis: ut hominum alii curant rem publicam, alii domeſticam, alii neutram: Hujus, eſt diſtributio generis in ſpecies: Genus, eſt totum, cujus eſſentia ad ſuas partes æqualiter attinet: Species, pars ſubjecta generi: Sic animal, genus hominis & beſtiæ dicimus: Animal eſt totum, cujus eſſentia, nempe, ſubſtantia corporea animata, ad beſtiam & hominem communiter attinet: Sic dicimus hominem & beſtiam ſpecies animalis, quia partes ſunt animali ſubjectæ, & quæ animalis eſſentiã communem habent: Sic dicimus hominem, genus hominum ſingulorum, & leonem, ſingulorum leonum: contrá veró ſingulos homines, ſpecies hominis: ſic ſingulos leones, leonis, ut Ariſtoteles ſæpe loquitur: imó Græci paſſim & Latini. Genus, eſt generaliſſimum aut ſubalternum: Species, ſubalterna aut ſpecialiſſima. Genus generaliſſimum, cujus nullum eſt genus: ut in logica inventione, argumentum, genus eſt generaliſſimum artificialium & inartificialium & reliquorum inde manantium generum: Subalternum genus, ut ſubalterna item ſpecies, ſpecies hujus

hujus,illius autẽ genus eſt:ut cauſſa,ſpecies eſt argumẽti artificialis: genus veró,finis, formæ, efficientis,materiæ.Species ſpecialiſſima,quæ nullas inferiores ſpecies habet: quod in ſchola individuum dicitur: nempe quod ſpecies non habeat, in quas dividi poſſit,ut ſunt fines,formæ,efficiẽtes,materiæ ſenſilium & ſingularum rerum. Genus veró & ſpecies, ſymbola ſunt cauſſarum & effectorum:ut in animali eſt ſubſtantia corporea, quæ materia eſt, ſpecies communiter attingens: tum facultas vitæ & ſenſus, quæ forma item cõmuniter ad ſpecies ſpectat: Quare genus continet cauſſas, quæ communiter ad ipſius ſpecies attineant:contrá itaque etiam ſpecies,effecta generis ſui continent: Hinc univerſale, eſt inſigne ac præſtabile,quia cauſſam declarat. Diſtributio generis in ſpecies proprié diviſio dicitur, valdeque excellit ac difficilis eſt & rara inventu: attamen illuſtrationis & exempli gratia, afferemus quod licebit. Ovidius primo Metamorphoſeωs dividit animal in quinque ſpecies, ſtellas, aves, beſtias,piſces,homines:ſtellis animam tribuit, ut etiam philoſophi tribuere:

Neu regio foret ulla ſuis animalibus orba,
Aſtra tenent cœleſte ſolum,formæque deorum:
Ceſſerunt nitidis habitandæ piſcibus undæ:
Terra feras cepit,volucres agitabilis aër:
Sanctius his animal,mentiſque capacius altæ
Deerat adhuc,& quod dominari in cætera poſſet,
Natus homo eſt.—

Sic Cicero primo de Officiis virtutem dividit in ſpecies quatuor, prudentiam, juſtitiam, fortitudinem, temperantiam: Sed omne quod honeſtum eſt, id quatuor partium oritur ex aliqua: aut enim in perſpicientia veri ſolertiaque verſatur, aut in ſocietate hominum tuenda, tribuendoque ſuum unicuique, & rerum contractarum fide, aut in animi excelſi atque invicti magnitudine ac robore, aut in omnibus, quæ fiunt quæque dicuntur ordine & modo, in quo ineſt modeſtia & temperantia. Diviſionis modus idem eſt, dividere genus in ſpecies & in earum formas: ut vulgò in ſcholis dicitur animalium aliud eſſe rationale, aliud irrationale: Species in hac diviſione ponuntur, ſed evidentiùs, quàm ſuis nominibus eſſent propoſitæ. Genus & ſpecies non ſolùm tractantur hac ſimplici diviſionis formula, ſed etiam ſeparatim alterum ex altero. Objicit ſibi Cicero, Tu es orator, Archias eſt poëta: quomodo igitur eloquentiæ tuæ fructum ei debeas? Etenim, ait, omnes artes quæ ad humanitatem pertinẽt, habent commune quoddam vinculum, & quaſi cognatione quadam inter ſe continentur. Ars, eſt genus: poëtica & eloquentia, ſunt ſpecies. Contrà genus tractatur per ſpecies, ut quarto de Triſtibus apud Ovidium:

Materiamque tuis triſtem virtutibus imple:
Ardua per præceps gloria vadit iter.
Hectora quis noſſet, felix ſi Troja fuiſſet?
Publica virtutis per mala facta via eſt.

Ars

Ars tua Tiphy, jacet, ſi non ſit in æquore fluctus:
Si valeant homines, ars tua Phœbe, jacet.
Quæ latet, inque bonis ceſſat non cognita rebus,
Apparet virtus arguiturque malis.

Virtus militaris rebus adverſis probatur, item nautarum & medicorum ſcientia: Virtus igitur adverſis rebus probatur: argumentum eſt de genere per ſpecies. Exempla ſpecialia ſuo generi accommodata ſunt hujus loci: Homo philoſophus eſt, ut Socrates & Plato: Hæc enim exempla, ſpecies ſunt generis propoſiti.

Secunda] Secundus veræ diſtributionis modus eſt ex effectis, cúm id quod dividitur, totum eſt, & partes, effecta: qualis eſt apud Ciceronem Pythagorea hominum partitio Tuſculana quinta, quód alii Rempub. tractant honoribus inſervientes: alii rem familiarem curant quæſtui dediti: alii neutram adminiſtrant, ſed in ſtudio ſapientiæ verſantur. *Hujuſmodi*] In hoc ſecundo modo diviſio generis in ſpecies, excellit maximé: qua occaſione genus & ſpecies docentur & muruó explicantur, propterea quód relatorum ea conſenſio eſt, ut natura ſimul ſint, nec alterius ſine altero eſſentia & ratio intelligi poſsit. Definitur genus, totũ univerſum, cujus eſſentia ſubjectis partibus, quæ ſunt ſpecies, ex æquo communicatur: & ſpecies, pars quæ ſubeſt generi: quas definitiones proxima exempla planiús declarabunt. Hoc autem intereſt inter totum integrum & genus, quia toti integro partes ſunt eſſentiales: genus verò totum eſt ſuis partibus eſſentiale, ut exempli gratia, corpus & animus eſſentiam hominis conſtituunt: animal autem homini & beſtiæ ſuam eſſentiam impertit. Nomen generis logici tranſlatum videtur á ſtirpe, unde multi oriuntur, & cognatione quadam eſſentiæ in ſe conjuncti ſunt: Sic genus logicum, eſt cauſſa &

principium, unde ſpecies communem & æqualem eſſentiam inter ſe habentes oriuntur. Plato in Parmenide τὸ γένος καὶ τὸ εἶδος interdum nominat logica ſignificatione, ut, εἰ μὴν αὐτὰ τὰ γένη τε, καὶ εἴδη ἐν αὐτοῖς ἀποφαίνοι ταναντία ταῦτα πάθη πάσχοντα, ἄξιον θαυμάζειν· Si enim genera ipſa & ſpecies in ſe ipſis demonſtret recipere contraria, mirabile fuerit. In Sophiſta cúm oſtendit fieri nō poſſe, ut omnia ſtent & moveantur: & tamen omnia cōmunione entis inter ſe conſentiant, diſputat ex logicis legibus generis & ſpeciei, & hoc loco γένος καὶ εἶδος dialecticé uſurpat: In Politico non ſolúm docet qualiter debeat fieri diviſio generis in ſpecies, ſed etiam quid ſit genus & quid ſpecies, ut illud totum ſit, hæc pars: Interdum tamen nomine generis pro ſpecie abutitur: ſed cū res ipſæ ſubtiliús docendæ ſunt, vocabulorum ſignificationes diſtinguēdæ etiam ſunt. Ariſtoteles decimi Philoſophiæ capite tertio: λέγεται δὴ, ait, γένος, ᾧ ἄμφω τὸ αὐτὸ λέγονται κατὰ τὴν οὐσίαν τὰ διάφορα· Genus dicitur, quo ambo differentia dicuntur idem ſecundum eſſentiam.

Sic dicimus hominem] Vulgares ſcholæ negant hominem, genus eſſe Socratis & Platonis, quia Socrates & Plato non differant ſpecie, ſed tātúm numero & accidentibus: ideoque hominem appellant εἶδος εἰδικώτατον, ſpeciem ſpecialiſsimam: Socratem veró & Platonem, ἄτομα καὶ μὴ εἴδη, individua & non ſpecies: quod ex Organo logico ſumpſerūt, ubi genus definitur, quod de multis ſpecie differentibus in quæſtione quid eſt, dicitur: ſed hoc præceptum verus uſus, id eſt magiſter artis, refellit: uſus, inquam, quem Ariſtoteles ipſe ſequitur: Sic enim ait libri tertii Philoſophiæ capite quārto: ἔσχατα γένη ἐπὶ τοῖς ἀτόμοις, οἷον ἄνθρωπος· ultima genera in individuis, ut homo. Et primo capite primi libri: τὸ τῶν ἀνθρώπων γένος καὶ τέχνῃ καὶ λογισμῷ ζῇ· genus hominum arte & ratione vivit. Et in libro de longitudine vitæ: μακροβιώτερον τὸ τῶν ἀνθρώπων γένος, ἢ τῶν ἵππων· Diuturnioris eſt vitæ hominum genus, quám equorum. Item de partibus Animalium: ἔσχατα εἴδη, Σωκράτης. καὶ Κόρισκος.

ultimæ

ultimæ ſpecies, Socrates & Coriſcus. Siquando autem homo dicitur εἶδος, ſpecies, τὸ εἶδος ἀντὶ γένους dicitur, ut ſæpe fit in tota Philoſophia, ſicut Philoponus & Alexander notarunt. Quód verò quidam defendunt, Socratem & Platonem non differre ſpecie, in hoc etiam falli videtur, quia ſinguli homines ſingulas habẽt formas eſſentiales, per quas id ſunt, quod ſunt & cúm inter ſe, tum à cæteris diſtinguũtur. Nec verò ſequitur, ſi tales eſſentiæ nos fugiant, & ſolis accidentibus Socratem á Platone diſtinguere ſoleamus, ut ideo in rerum natura diverſæ non ſint: Nam de generalibus formis vix ullam philoſophi percipiunt: nec tamen inde rejiciunt formas generales, propter earum ignorationem & obſcuritatem in profundo demerſam: Lege librum tertium Animadverſionum Ariſtotelicarum. *Genus eſt*] Genus ſummum appellatur ab Ariſtotele πρῶτον, primum: ab Ariſtoteleis interpretibus γενικώτατον, generaliſſimum: cujuſmodi eſt in Ariſtotelicis Categoriis, ſubſtantia. Si ſuperiorum ſpecies eſt inferiorum & genus, dicitur ὑπάλλον, ſubalternum: ut animal, viventis naturæ ſpecies eſt, & genus pecudis: τὸ εἶδος quoque diſtingui poteſt εἰς ὑπάλλον, in ſpeciem ſubalternam, ut animal: καὶ εἰς ἔσχατον, ὔτατον, ἄτομον, ἰδικώτατον: in ſpeciem ultimam, poſtremam, individuam, ſpecialiſſimam, ut Plato, Socrates: Atque hæc diſtinctio generis & ſpeciei hoc loco docetur, ut lucem aliquam & intelligentiam afferat cúm aliis in rebus, tũ in methodo doctrinæ, quæ jubebit libro ſecundo, ut in omni artificioſa diſputatione á ſummis generibus ad intermedia progrediamur, donec ad infima perventum ſit. *Genus verò & ſpecies*] Ne quis exiſtimet doctrinam generis á ſecũda ſpecie diſtributionis alienam eſſe, genus, non modó totum eſt, ſed etiam cauſſas ſpeciei continet: & ſpecies, effecta generis: Itaque hæc veré ſymbola ſunt τῶν αἰτιῶν καὶ αἰτιάτων, cauſſarum & effectorum: ut animal comprehendit in ſe materiam hominis, ſubſtantiam corpoream, & partem formæ, ut facultatẽ vitæ & ſenſus: qua de cauſſa Ariſtoteles capite viceſimo

quarto libri primi Analyticorum poſteriorum appellat τὸ καθόλου τίμιον, ὅτι δηλοῖ τὸ αἴτιον· univerſale præſtabile & honorabile, quia demonſtrat cauſſam: Idemque affirmat, univerſale eſſe præſtantius ſingulari, quia ſit magis ſimplex, & ad gignendam ſcientiam aptius magiſque principale. *Ovidius primo*] Ovidius ad imitationem Timæi Platonici dividit animalia in quinque ſpecies, ſtellas, aves, piſces, beſtias terreſtres, & homines: quas ſpecies ex ſubjectis locis, cœlo, aëre, aqua, terra quodammodo diſtinguit. *Sic Cicero*] In hoc exemplo honeſtum vel honeſtas, genus eſt, quod dividitur in quatuor ſpecies, prudentiam, juſticiam, fortitudinem, temperantiam: quæ diviſio ex primo libro Platonis de Legibus ſumpta eſt. *Diviſionis modus*] Quidam duos diverſos modos diviſionis eſſe putant, unum cúm genus in ſpecies dividitur, ut animal in hominem & beſtiam: alterum cúm genus in differentias, ut vocant, diſtribuitur, ut animal in rationale & irrationale: cúm tamen unus & idem modus ſit, ſed illic ſpecies ſuis nominibus exprimuntur, hic ſuis definitionibus. *Genus & ſpecies*] Uſus & tractatio generis & ſpeciei multiplex eſt: aliás enim adhibetur ad perfectam diviſionem, ut anté dictũ eſt: aliás ut unam ſpeciem vel aliquot concludat, aut viciſſim ab una ſpecie, vel aliquot concludatur. Ex genere ſpecies docetur duobus modis, affirmaté & negaté: utrobique autem valebit hoc axioma catholicum, ut ſi conſtanter concludere velis, genus omnino affirmes aut neges: ut,

Omnes artes ſunt conjunctæ:
Poëtica & eloquentia ſunt artes:
Ergo ſunt conjunctæ.

Item, Nullum vitium eſt laudabile: Ergo neque avaritia eſt laudabilis, neque injuſtitia, &c. Secús firma conſecutio non erit, ut ſcribitur capite ſecundo Topici ſecundi: οὐ γὰρ ἀναγκαῖον ὅσα τῷ γένει ὑπάρχει, καὶ τῷ εἴδει ὑπάρχειν· non enim neceſſe eſt quæcunque generi inſunt, & ſpeciei ineſſe: ut, Aliquod animal ſapit: Ergo beſtia ſapit:

ſapit:vel,Aliquod animal non ſapit:Ergo homo non ſapit:Quia quando genus in parte tantúm affirmatur aut negatur,ſpeciem inepté concludit. *Contrá genus*] Dictum eſt de uſu generis ad explicãdam ſpeciem, ſequitur uſus ſpeciei ad explicandum genus, ubi notanda ſunt axiomata:Si ſpecies unica affirmatur,genus ipſum affirmari:ut, Juſtitia eſt laudabilis: Ergo virtus eſt laudabilis:Si negatur, non protinús genus univerſé negari:ut,Anima non augetur: Ergo nõ movetur. Si ſpecies omnes per negationem removeantur, genus hinc negaté concludi:ut, Prudentia non eſt vituperabilis, neque juſtitia,neque fortitudo,neque temperantia:Nulla igitur virtus eſt vituperabilis.Si ſpecies aliquot vel omnino affirmentur,genus ipſum, vel in parte vel omniño affirmari:ut, Virtus militaris, rebus adverſis probatur, ut nautica & medica: Virtus igitur rebus adverſis probatur. *Exempla*] Cúm res generatim propoſita exemplis illuſtratur, tum exempla ſpecies ſunt, & ad hunc locum diſtributionis pertinent,quia partes ſunt,ex quibus totum demonſtratur: Plato in Lyſide vocat παραδείγματα, ὁμήρους τοῦ λόγου· exempla, vades rationis & diſputationis: & in Politico docet exempla ad illuſtrationem magnarum & obſcurarũ rerum plurimúm valere. χαλεπὸν ὦ δαιμόνιε. μὴ παραδείγμασι χρώμενον, ἱκανῶς ἐνδείκνυσθαί τι τῶν μειζόνων· κινδυνεύει γὰρ ἡμῶν ἕκαστος, ὅσον ὄναρ εἰδὼς ἅπαντα, πάντ' αὖ πάλιν ὥσπερ ὕπαρ ἀγνοεῖν. Difficile eſt o beate, exemplis non utentem res magnas explicare: videtur enim unuſquiſque noſtrum, tanquam per ſomnium noſſe omnia, & omnia revera rurſus ignorare. Sic Ariſtoteles in Topicis capite ſecũdo libri octavi ait: εἰς δὲ σαφήνειαν παραδείγματα καὶ παραβολὰς δοτέον· παραδείγματα δὲ δικεῖα καὶ ἐξ ὧν ἴσμεν, οἷα ὅ μηρος, μὴ οἷα χοιρίλος· οὕτω γὰρ ἂν σαφέστερον εἴη τὸ προτεινόμενον· Ad perſpicuitatem verò exempla ſimilia tenenda ſunt: exẽpla verò familiaria & unde res cognoſcimus, qualia ſunt apud Homerum, non apud Chœrilum: ſic enim clariús & manifeſtiús fit quod proponitur. Porró

generis & ſpeciei doctrina maximé philoſophos veteres exercuit, eademque occaſione de Idea quæſtio extitit: Idea tamen apud Platonem nihil eſt aliud, quám genus logicum, id eſt generalis notio & ad multa pertinens: vel res generalis animo & mente concepta, ut ex multis Platonis locis perſpici facilé poteſt: ſexto ſiquidem libro de Repub. ἰδέαν τοῦ ἀγαθοῦ nominat pro communi & univerſali notitia boni, quam ſæpius pronomine demonſtrãte exprimit, ut αὐτὸ ἀγαθὸν, αὐτὸ καλὸν, Platonis ſermone idem ſit, quod generalis notio boni & honeſti. Sic decimo libro τὸ εἶδος καὶ τὴν ἰδέαν definit, notionem videlicet univerſam, cujus conſimilia inter ſe multa ſunt exempla: quam in Parmenide etiam appellat γένος: ut εἶδος, ἰδέα, γένος apud Platonem promiſcué & indifferenter paſſim in eadem re & ſignificatione dicãtur: In Parmenide etiam & Sophiſta, aliiſque permultis locis, εἶδος καὶ ἰδέα communionem multarum rerum eſſentia inter ſe ſimilium ſignificat: totaque Parmenidis & Socratis diſputatio eó maximé ſpectat, ut intelligamus eſſe ἰδέας, id eſt genera rerum, quæ multis ſubjectis partibus æqualiter & communiter eſſentiam ſuã impertiant: ad quæ genera ſeſe convertit animus, ut ſtabilem aliquam & ſolidam veritatis ſcientiam percipiat, quoniam in rebus ſingulis, quæ ſunt ſubinde mutabiles & caducæ, nullum tale veſtigium ſapientiæ appareat. Quidam ſomniarunt á Platone ἰδέας, dici exemplaria æterna á rebus tum communibus, tum ſingulis ſeparata, ad quorum ſimilitudinem Deus res omnes crearit & effinxerit: Quæ quidem exemplaria Socrates adoleſcẽtulus & captioſo ſophiſmate deceptus videtur inducere, ſed multis modis á Parmenide refellitur: Ariſtoteles porró in Philoſophia, Socratis ἰδέαν interpretatur de genere logico, non de exemplari per ſe conſiſtente & á rebus ſeparato. ὁ μὲν γὰρ Σωκράτης τὰ καθόλου οὐ χωρὶς ἐποίει· Socrates quidem univerſalia ſeparata non faciebat, ait quarto cõpite libri decimi tertii. In Philebo, Socrates quid ſentiat, apertiús oſtẽdit, communia videlicet omnia,

nia, ſeu genera, ſeu ſpecies, ἰδέας eſſe: quæ revera ſunt in multis, ut in ſuis partibus: & tamen ratione quadam ſine ſuis partibus intelligantur: quod etiam Ariſtoteles docet in Philoſophia, & in poſterioribus Analyticis: Lege, ſi voles, etiam Cratylum Platonis & Timæum, ut planiús agnoſcas, quod initió propoſui, ἰδέαν apud Platonem nomen eſſe dialecticum, idque ſignificare aut notionem generalem, aut multitudinem & cõmunionem rerum eſſentia ſimilium.

DISTRIBUTIO E SUBJECTIS.

Reliqua duo genera ſunt ſecundariæ diſtributionis, in quibus nec totũ, nec partes veré dicũtur, ſed tantúm ſpecie quadã & ſimilitudine. Primum igitur ſecundariæ diſtributionis genus eſt é ſubjectis, cúm totum adjunctum eſt, & partes ejus ſubjectæ, ut apud Catullum:

Virginitas non tota tua eſt, ex parte parentum:
Tertia pars matri data, pars data tertia patri:
Tertia ſola tua eſt, noli pugnare duobus,
Qui genero ſua jura ſimul cum dote dederunt.

Sic Cicero primo Academico: Fuit jam á Platone accepta philoſophandi ratio triplex: una de vita aut moribus, altera de natura & rebus occultis, tertia de diſſerendo, & quid verũ, & quid falſum, quid rectũ in oratione pravumque, quid conſentiens, quid repugnans, judicando.

DISTRIBUTIO EX ADJUNCTIS.

Alterum genus ſecundariæ diſtributionis eſt, quando totũ, ſubjectum eſt, partes, adjuncta: ut hominũ alii ſani, alii ægri: alii divites, alii paupe-

res: Sic Virgilius primo Georgicorum mundum dividit in quinque partes, mediam torridā, duas extremas frigidas, & reliquas duas temperatas:

Quinque tenent cœlum Zonæ: quarum una coruſco
Semper Sole rubens, & torrida ſemper ab igni:
Quam circum extremæ dextra lævaque trahuntur
Cærulea glacie concretæ, atque imbribus atris:
Has inter mediamque, duæ mortalibus ægris
Munere conceſſæ divūm.—

Reliqua] Dictum eſt de duobus generibus veræ diſtributionis, ſequuntur duo genera diſtributionis non veræ, ſed imaginariæ: Primum eſt é ſubjectis, quando totum, eſt adjunctum, & partes, ſubjecta: ut apud Catullum virginitas, adjunctum eſt, & diſtinguitur ex tribus ſubjectis, patre & matre, quæ ſunt ſubjecta, ut poſſeſſor rei poſſeſſæ: & puella nubente, quæ eſt virginitatis ſubjectum, quia in ea virginitas inſit. *Sic Cicero*] Philoſophia, ut adjunctum, dividitur in tres res ſibi ſubjectas, circa quas ipſa verſatur, in mores, in res naturales & occultas, & in rationem diſſerendi: Hæc enim tria ſubjecta ſunt, circa quæ philoſophia Platonis occupatur. *Alterum*] Alterum genus fictæ diviſionis appellatur ex adjunctis, quando totum, ſubjectum eſt, & partes, adjuncta: Sic Virgilius dividit cœlum in quinque Zonas, quæ nominantur ex adjunctis rebus, torrida, frigida ad ſeptentrionem, frigida ad meridiem, temperata noſtra, temperata antipodum. Zonas autem Mathematici per metaphoram dicunt, pro circulis, in cœlo & in terra fictitiis: Cœlum igitur in hac diviſione ſubjectum eſt, Zonæ autem, adjunctæ cœlo. *Secundariæ*] Primus modus fictæ diviſionis imitatur primum verum, ut ſecundus ſecundum: unde fit, ut cúm adjunctum dividitur in ſua ſubjecta, diviſio totius in mēbra: & cúm ſubjectum in adjuncta, diviſio generis in ſpecies eſſe videatur: attamen in neutra harum diviſionum veré totum,

tum,nec pars dicitur,ſed utrobique totum eſt imaginarium,& per metaphoricam ſimilitudinem appellatum: quia totum & pars ſeparari poſſunt. Item quod veré totum eſt,id vel partibus ſuis eſt eſſentiale, ut totum integrum:vel ei partes ſunt eſſentiales, ut totum univerſale,ſive genus. At veró neque ſubjectum ſemper eſt de eſſentia adjuncti: nec adjunctum de eſſentia ſubjecti: Itaque in ſubjectis & adjunctis totum & pars veré dici non poſſunt:ſed imaginaria tantúm ſimilitudine totum & pars intelliguntur. Et quoniam veras rerum eſſentias pauci homines comprehendunt,eó fit ut veræ diſtributiones raræ ſint,& his imaginariis uti cogamur. Diviſionis locus varié & ambigué tractatur in libris Ariſtotelis: Nam triceſimo ſecundo capite libri primi Analyticorum priorum, & capite quinto libri ſecundi Analyticorum poſteriorum reprehenditur,tum ut captioſa, quód αἰτεῖται, ὃμοῦ δεῖ δεῖξαι, petit, quod oporteat demonſtrare,& eſt ἀσυλλόγιστος, & ſic in Prioribus Analyticis infirmum ſyllogiſmum appellat, nihil concludens: tum ut prorſus inutilis:quæ ſententia (ut interpretes Ariſtotelis ajunt capite decimo quarto libri ſecundi Poſteriorum) fuit Speuſippi, diuiſionem tollentis, ut impoſſibilem, quia dividenti omnia eſſent tenenda: & ut fallacem,quia principium peteret. At veró eodem capite defenditur ab Ariſtotele ut poſſibilis & facilis,quia dividenti non ſint omnia tenēda,ſed ſatis ſit partes noſſe,quibus probare quippiam velis: & diviſio ipſa in oppoſitis immediatis doceat, non petat:,& quanvis non concludat, alio tamen modo cognoſcere faciat, ut naturali enūtiationis judicio:Et decimo ſexto capite ejuſdem libri laudatur, ut ad omnia problemata diſputanda valde utilis:Sic enim ait: πρὸς τὸ ἔχειν τὰ προβλήματα, ἐκλέγειν δεῖ τάς τε ἀνατομὰς καὶ τὰς διαιρέσεις· ad obtinendum problemata,oportet adhibere partitiones & diviſiones:Ideoque cúm laudat comparationis & conjugationis locum, diviſionem etiam laudat capite ſecundo ſeptimi Topici: præcipit enim tenendos eſſe locos καὶ

τῶν ἄλλων, μάλιστα κοινούς· & inter alios, maximé communes. οὗτοι γὰρ ἀποτελεσταὶ τῶν λοιπῶν· οἷον τὸ περιβλέπειν ἐπὶ τὰ καθ' ἕκαστα, καὶ ἐπὶ τῶν εἰδῶν σκοπεῖν, εἰ ἁρμόττει ὁ λόγος· hi siquidem sunt efficaciſſimi reliquorum: ut reſpicere ad ſingula & per ſpecies conſiderare, an ratio conveniat. Diviſionis verò laudem videtur Ariſtoteles Socrati tribuere capite quarto libri decimi tertii Philoſophiæ: δύο γὰρ ἔστιν ἃ τις ἂν ἀποδώῃ Σωκράτει δικαίως, τούς τ' ἐπακτικοὺς λόγους, καὶ τὸ ὁρίζεσθαι καθόλου· Duo enim ſunt, quæ jure quis attribuerit Socrati, inductionis rationes & generales definitiones: inductiones autē, quia partiū enumerationem continent, ex loco diſtributionis ſumuntur: Plato diviſionem in tribus Dialogis præcipuè docet, in Parmenide, ubi de toto & parte pluribus verbis diſſerit: In Sophiſta, Hoc, ait hoſpes, eſt ſcire, per genus diſcernere, quomodo ſingula communicare viciſſim poſſunt, & quomodo non poſſunt. The. Prorſus. Hoſpes. At verò Dialecticum opus haud alteri dabis (ut arbitror) quàm puré & legitimé philoſophanti. The. Quomodo alteri tribui poſſet? In Politico Socrates eos reprehendit, qui vitioſé partiuntur: & doctrinam legitimæ diviſionis attingit: primùm, ut rem generatim percipiamus, deinde partes inter ſe diſſimiles inſpiciamus, & una communione generis comprehendamus: Idemque admonet adhibendam eſſe rationem, qua poſſimus rem propoſitam in ſpecies dividere, diſputationemque longiorem attendere, nec ejus longitudinem, quæ fit per ſingulas partes, moleſté ferre.

DEFINITIO, AC PERFECTA primùm.

Definitio, eſt ratio quæ proprié explicat quid res ſit. Definitio, perfecta eſt aut imperfecta: Illa proprié definitio, hæc deſcriptio dicitur. Definitio perfecta, eſt definitio cōſtans é cauſſis eſſentiam

tiam conſtituentibus, quales genere & forma comprehenduntur: Atque hoc modo definitur homo, animal rationale: Nam genere, animal, intelligimus (ut dictum eſt) eſſentiam corporeã plenam vitæ & ſenſus, quæ materies hominis eſt & pars formæ: cum qua ſi addas, rationale, totã formam comprehendes vitæ, ſenſus, rationis facultate: quæ forma eſt etiam efficiens, ut quæ ſtatum rei tueatur. Itaque perfecta definitio nihil aliud eſt, quám univerſale ſymbolum cauſſarum eſſentiam rei & naturam conſtituentium. Tales definitiones ſunt artium: Grãmatica, eſt ars bene loquendi: Rhetorica, bene dicendi: Dialectica, bene diſſerendi: Arithmetica, bene numerãdi: Geometria, bene metiendi.

DESCRIPTIO.

Deſcriptio, eſt definitio ex aliis etiam argumentis rem definiẽs: ut, Homo eſt animal mortale, capax diſciplinæ: Hic cum aliqua cauſſa miſcetur propria circunſtantia: At hæc ſuccincta brevitas non eſt in hac ſpecie perpetua, ſed ſæpe & res & auditor illuſtriorem & magnificentiorem explicationem deſiderat: Ejuſmodi feré ſunt deſcriptiones poëtarum: Sic quarto Æneidos Fama deſcribitur:

Ex templo Libyæ magnas it fama per urbes:
Fama, malum, quo non aliud velocius ullum
Mobilitate viget, viresque acquirit eundo:
Parva metu primo, mox ſeſe attollit in auras,

Ingrediturque ſolo, & caput inter nubila condit:
Illam terra parens ira irritata Deorum
Extremam, ut perhibent, Cœo Enceladoque ſorore
Progenuit pedibus celerem & pernicibus alis:
Monſtrum horrendum, ingens, cui quot ſunt corpore plumæ,
Tot vigiles oculi ſubter (mirabile dictu)
Tot linguæ, totidem ora ſonant, tot ſubrigit aures:
Nocte volat cœli medio, terræque per umbram,
Stridens, nec dulci declinat lumina ſomno:
Luce ſedet cuſtos, aut ſummi culmine tecti,
Turribus aut altis, & magnas territat urbes:
Tam ficti pravique tenax, quám nuntia veri:

Tales ſunt deſcriptiones arborum, plantarum, animalium in philoſophis: item urbium, fluminum, montium in hiſtoricis: Atque ut brevitas laudatur in perfecta definitione, ſic magnificentia in deſcriptione celebratur, ea lege, ne quid redundet & ſuperfluat.

Definitio] Tertium argumentum ex primis ortum, eſt definitio, Græcis ὅρος, ὁρισμὸς & ὁριστικὸς λόγος· quæ nomina per metaphoram dicuntur á menſoribus deducta: Definire enim, proprié eſt terminare, ut agrum, aream, regionem: & hinc ad artes tranſlatum, eſt naturam rei propoſitæ certis quaſi terminis circunſcribere & explicare: Ut enim menſores decempeda agrum metiuntur, ut & quantus ſit, oſtẽdant, & eum á cæteris aliis diſtinguant: ita res, de qua agitur, definitione quid ſit, explicatur & á cæteris rebus diſtinguitur. Cicero libro primo de Oratore etiam vocat finem: Quintilianus libro ſeptimo finitionem. Definitionem, philoſophi maximé commendant: nec tantúm præcipiunt ut in docendo, res de qua agitur, apté definiatur, ſed etiam quæ ſit ars faciendæ

ciendæ definitionis, docent, ut Plato in Theæteto, Politico, Sophiſta, aliiſque multis Dialogis, in quibus vitioſas rerum definitiones refellit, & pro his rectas & legitimas reponit: in quo maxima & ſingularis elucet ſapientia Socratis contra ſophiſtas. Ariſtoteles primi Topici capite quarto: ἔστι δὲ ὅρος μὲν (ait) λόγος, ὁ τί τι ἦν εἶναι σημαίνων· Definitio autem, eſt oratio ſignificans quid res ſit. Idem capite decimo libri ſecundi Poſteriorum: ὁρισμὸς δ' ἐστὶ λέγεται εἶναι λόγος τοῦ τί ἐστι, φανερὸν ὅτι ὁ μὲν τὶ ἔστιν λόγος, τοῦ τὶ σημαίνει τὸ ὄνομα· Cùm igitur definitio dicatur eſſe oratio ejus quod quid eſt, conſtat eſſe quandam orationem ejus rei, quam nomen ſignificat. In ſexto etiam Topico ejuſmodi leges ab Ariſtotele inſtituũtur. *Definitio*] Definitionis duo ſunt genera, unum perfectum, ſubtile & accuratum, quo philoſophi perfectã rerum eſſentiam demonſtrari atque exprimi volunt: & proprié definitio nominatur: quæ propter excellentiam doctrinæ, commune nomen definitionis, ſpeciale & tãquam ſuum uſurpavit: de quo genere ſcriptus ab Ariſtotele totus Topicus liber ſextus: alterum eſt minùs ſubtile, preſſum, elaboratum, magiſque populare, quod non ſolùm ex cauſſis interioribus, ſed etiam externis & cæteris primis argumentis deduci poteſt, & appellatur deſcriptio: de qua ſcriptus eſt ab Ariſtotele quintus liber Topicus. Hæc itaque partitio definitionis licet in Organo logico verbis expreſſa non ſit, huc tamen feré recidunt omnia, quæ ſexto Topico de vera definitione, & quinto de proprio, id eſt de deſcriptione præcipiuntur. *Definitio perfecta*] Perfecta definitio vocatur in Analyticis poſterioribus capite decimo libri primi ὁρισμὸς ἄμεσος, καὶ λόγος ὁ δηλῶν διά τι, καὶ ἀρχή· Definitio immediata, & ratio explicans propter quid, & principiũ: Quia omnis demonſtrationis principium, ſit definitio conſtans ex cauſſis propriam veramque rei eſſentiam conſtituentibus. Ariſtoteles in Topicis præcipit, ut talis definitio ex genere & differentia, id eſt forma, componatur, quia genus & differentia, cauſſas, eſſentiam rei pro-

positæ constituentes comprehendant: ut in definitione hominis (animal rationale) genus, animal, significat & materiam & duas facultates formæ hominis, unam vivendi, alteram sentiendi: differentia autem, rationale, significat principē formam hominis, videlicet participē rationis & intelligentiæ: quæ etiam est caussa efficiens, quia statum hominis conservat: & finis, quia ad ejus usum omnia hominis facta referuntur: Itaque cúm definitio sit ex genere & differentia, omnes caussas, quæ sunt in re ipsa, continet: quodque Aristoteles in posterioribus Analyticis tradit, ut definitionem speciei, divisione generis investigemus, & definitiones generis, inductione specierū colligamus: hoc ipso nos admonet, ut ad definiendam speciem, assumpto genere descendamus ad propriam differentiā, id est formam, & ad definiendum genus, inquiramus per inductionem primúm aliquid commune, in quo multa similia consentiant: deinde assumpta differentia, id est propria forma, definitionem compleamus: ut perfecta definitio nihil aliud sit, quám catholicum symbolum caussarum, rei, de qua agitur, essentiam constituentium. *Tales*] Cúm definitur Grammatica, ars bene loquendi, ars, Grammaticæ genus est, & bene loqui, caussa formalis, per quam Grāmatica est, id quod est, & á cæteris artibus distinguitur. Idem judicato de Rhetorica, Dialectica, Arithmetica, Geometria, & reliquis artibus, quæ singulæ ex genere & sua forma definiuntur. Mirabilis autem fuit Antisthenis & imperitorum hominum opinio, negantium quicquam definiri posse: de quibus sic Aristoteles capite tertio libri noni Philosophiæ scribit: ὥστε ἡ ἀπορία, ᾗ Ἀντισθένει καὶ οἱ ὅτως ἀπαίδευτοι ἠπόρουν, ἔχει τινὰ καιρὸν λυθῆναι· ὅτι οὐκ ἔστι τὸ τί ἐστιν ὁρίσασθαι· τὸν γὰρ ὅρον, εἶναι λόγον μακρόν· ἀλλὰ ποῖον μέν τί ἐστιν, ἐνδέχεται καὶ διορίσαι· ὥσπερ ἄργυρον, τὶ μέν ἐστιν ὅτι δὲ ὅιον κασσίτερος· Quare ea dubitatio, qua Antisthenei & tales inerudiri homines dubitabant, opportuné solvi potest: Hi quidem definitiones tradi non posse existimabant: definitionem enim longam

longam orationem esse dicebant: sed fieri quidem potest ut doceas, quale quid hoc est: ut autem definias, minimé fieri potest: etenim quidnam sit argentum non dixeris: at tale esse, quale est stannum, dicere potes.

Descriptio] Secundum genus definitionis ex omnibus argumentis primis effici potest, differtque á superiore, quód non solúm causas interiores & essentiales explicat, sed aliis præterea argumentis, tanquam externis coloribus rem propositam, exornat & exprimit, ut causis externis, factis, subjectis, adjunctis, oppositis, comparatis, Aristoteles quinto Topico nomine τῦ ἰδίου, id est proprii, comprehendit: Porphyrius appellat ὑπογραφὴν, descriptionem: Rhetores etiã περίφρασιν· Cicero in Topicis παραγραφὴν· ut sit hominis descriptio, ζῶον θνητὸν καὶ ἐπιστήμης ἀνθρώπου, animal mortale, particeps scientiæ: Genus siquidem, animal, significat hominis materiam & duas facultates animæ, quæ est forma: reliqua autem significant adjunctas homini proprietates, non ullam hominis essentiam. *Atque hæc*] Descriptio interdum brevior est, ut illa, Animal mortale, capax scientiæ: sæpe etiam longa & multis verbis expolita, qualis est Virgiliana famæ descriptio ab adjunctis, quæ sunt, malum, velox, mobilis, inconstans: ab effectis, quæ sunt, sese attollere, laté volare: á caussa procreante, quæ est terra: rursumque ab adjunctis corporis, celeritate pedum, mobilitate alarum, multitudine oculorum, linguarum, sermonum, aurium: itemque ab effectis, quæ sunt, tota nocte volare, interdiu urbes terrere: á paribus, quæ sunt, tam nugatoriam famam esse, quám verax est.

Tales sunt] Philosophi inopia verarum & perfectarum definitionum, sæpissimé confugiunt ad descriptiones: Nam cúm veras plantarum, arborum, animalium formas & essentias ignorent, ejusmodi res ex caussis externis, factis, subjectis, adjunctis, oppositis, aliisque id genus argumentis quoquo modo possunt, explicant atque ostendunt: In historicis, qui res speciales tractant, usus magnificentioris hujusce descriptionis etiam fre-

quens eſt duabus de cauſſis,& quia illis propoſitum eſt non ſolúm docere,ſed etiam delectare,quod copioſa & illuſtri oratione efficitur:& quia ſpecialia pluribus verbis egent ut definiantur,quám univerſalia.

Atque ut brevitas] Definitio proprié dicta,tribus virtutibus in ſcholis laudatur, proprietate, ut rem totam & ſolam definiat,perſpicuitate, ut claré exponat quid ſit, brevitate,ut facilé percipiatur & ediſcatur:quarum virtutum duæ primæ ſunt ei cum deſcriptione communes, proprietas & perſpicuitas:tertiam interdum deſcriptio deſiderat,ut in tradendis artium præceptis: ſæpe etiam repudiat, ut in rebus popularibus, in quibus anguſtia orationis & paucitas verborum vituperatur, copia & amplitudo & magnificentia laudatur, ut antea dixi de poëſi & hiſtoria.Fabius libro ſeptimo:An(inquit)ſi non dixero,homo eſt animal rationale,mortale,non potero expoſitis tot animi corporiſque proprietatibus latiús oratione ducta vel á mutis eum diſcernere , vel á diis? Quid quód nec uno modo definitur eadem res , ſed latiore varioque tractatu? ut facit Cicero , ut omnes oratores plerunque fecerunt:Rariſſima enim apud eos reperietur illa ex cõſuetudine philoſophorum ducta ſervitus:Eſt enim ſervitus ad certa verba ſeſe aſtringendi: eamque M. Antonius libro ſecundo de Oratore vetat: Nã eſt etiam periculoſum, cúm ſi in uno verbo ſit erratũ,tota cauſſa cecidiſſe videamur. *Ea lege*] Cicero libro ſecundo de Oratore:Hoc (ait) præcipit ratio atque doctrina definiendi,ut vis ejus rei , quam definias , ſic exprimatur,ut neque abſit quicquam,neq; ſuperſit : Deeſt autem aliquid in definitione , cúm ipſa rem proprié & perſpicué non explicat:redundat , cúm aliquid detrahi poteſt,ut tamen propria & perſpicua definitio maneat. Ariſtoteles verò totam iſtam definiendi ſcientiam Socrati attribuit , ut oſtendit locus paulò anté citatus in capite de diviſione ex decimo tertio Philoſophiæ , ubi ait Socratem authorem fuiſſe inductionum & definitionum:ob eam(opinor)cauſſam,quód & malé definiẽ-

tes refellat: & quód ipſe generalem rerum definitionẽ ſemper requirat. Idem Socrates in Theæteto definitionem clariſſimo ſiderum Soli cõparat, & ut propria claraque ſit, admonet: atque eodem loco præcipit definitionem ex multis componendam eſſe, quæ tandem aliquid proprium efficiant, quod non poſſit in ullam aliam rem transferri.

ARGUMENTUM INARTIFICIALE, *ac primúm* Lex.

Expoſito artificiali argumento ſequitur inartificialis declaratio: Argumentum inartificiale eſt, quod per ſe ſuaque natura fidem non facit. Id uno nomine teſtimoniũ vocatur, ſive divinũ ſit, ut oracula & prophetiæ, ſive humanũ: Cicero in defenſione Milonis ex lege & ſcripta & non ſcripta diſputat: id eſt divino & humano teſtimonio: Quód ſi duodecim tabulæ nocturnum furẽ quoquo modo, diurnum autem ſi ſe telo defenderit, interfici impuné voluerunt: quis eſt qui quoquo modo quis interfectus ſit puniendum putet, cúm videat aliquando gladium nobis ad occidendum hominem ab ipſis porrigi legibus? Et ibidem pauló póſt: Eſt enim (Judices) non ſcripta, ſed nata lex: quam non didicimus, accepimus, legimus: verúm ex natura ipſa arripuimus, hauſimus, expreſſimus: ad quam non docti, ſed facti: non inſtituti, ſed imbuti ſumus: ut ſi vita noſtra in aliquas inſidias, ſi in vim, in tela aut latronum aut inimicorum incidiſſet, omnis honeſta ratio eſſet expediendæ ſalutis: ſententiæ

poëtarum & insignium personarũ, sunt humana testimonia. Sic Athenienses usi sunt Homeri testimonio in caussa Salaminis: & Tenedii, Periandri adversus Sigienses: Sic Plato & Aristoteles philosophiam suã ornarunt testimoniis poëtarum: Proverbia sunt etiam testimonia. Sunt item pacta. Exemplum pacti est apud Ciceronẽ quinta Philippica: Audebo etiam obligare fidẽ meam P. C. vobis populoque Rom. quod profectó cúm me nulla vis cogeret, facere nõ auderem, pertimesceremque in re maximé periculosa opinionem temeritatis: promitto, recipio, spõdeo P.C. Cæsarẽ talem semper fore civem, qualis hodie sit, qualemque eum maximé velle & optare debemus. Pignus autem, pactum quoddam est, ut apud Virgilium Ecloga tertia:

Vis ergo inter nos quid possit uterque, vicissim
Experiamur? ego hanc vitulam, ne forté recuses,
Bis venit ad mulctram, binos alit ubere fœtus,
Depono: tu dic mecum quo pignore certes.

Quæstio etiam in testimoniis humanis numeratur, id est vi & tormentis expressa confessio. Tale fuit argumentum contra Milonem, quod á Cicerone deridetur: Agé verò, quæ erat aut qualis quæstio? Heus ubi Ruscio? ubi Casca? Clodius insidias fecit Miloni? Fecit: Certa crux. Nullas fecit: Sperata libertas. Huc etiam referri potest argumentum, quo utimur, cúm affirmationis nostræ probationem & experientiam proponimus. 4. Ver. Ecquis Volcatio, si sua sponte venisset,

unam

unam libellam dediſſet? Veniat nũc, experiatur, tecto recipiet nemo. Terentius in Eunucho:

Fac periculum in literis, fac in palæſtra, in muſicis: quæ liberum:
Scire æquum eſt adoleſcentem, ſolertem dabo.

Ovidius tertio de Triſtibus:

Quod magus ut liqueat, neve hoc ego fingere credar,
Ipſe velim pœnas experiare meas.

Juſjurandum, etiam teſtimonium eſt, quale eſt ſexto Æneïdos:

Per ſuperos, & ſi qua fides tellure ſub ima eſt,
invitus, regina, tuo de littore ceſſi.

Argumentum inartificiale, cúm exquiſita rerum veritas ſubtiliús expenditur, magnam vim probationis non habet: ſed hæc fides, famæ & exiſtimationi perſonæ tribuitur: mores enim ſunt maximæ perſuaſionis, ſi prudentia, bonitas & benevolentia conjunctæ ſint. Sapientia, bonitas, benevolentia, ſummæ ſunt in Deo, ideoque divinis teſtimoniis ſumma fides adhibetur: hominum dictis major minorve, prout hæ circunſtantiæ majores minoreſve fuerint. Denique in privatis & publicis civitatis cujuſque judiciis, pericula capitis, famæ, fortunarumque omnium his ferè argumentis dijudicantur.

Expoſitis] Argumentum initiò generatim diviſum fuit in artificiale & expers artis, & quæ eſſent ſpecies argumenti artificialis, quemque uſum haberent, ex antecedentibus præceptis ſatis conſtare arbitror; Reſtat argumentum inartificiale, expers artis, quod & aſſum-

ptum, & teſtimonium Cicero nominat: Fabius etiam locum ab authoritate: Definitur autem ex diſſimilibus, quod ex ſua natura fidem non facit, ſicut argumentum artificiale facit, ſed fides ejus, argumento aliquo artificiali expenditur & confirmatur, ut mox docebitur. Ariſtoteles quinque modos diſtinxit capite decimo quinto libri primi ad Theodectem: εἰσὶ δὲ πίστεις τὸν ἀριθμὸν, νόμοι, μάρτυρες, συνθῆκαι, βάσανοι, ὅρκοι· Sunt autē numero quinque, leges, teſtes, pacta, quæſtiones, juſjurandum: In Rhetoricis ad Alexandrum leges & pacta non adhibētur. At hæc omnia, teſtimonia ſunt. *Cicero*] In Rhetoricis ad Theodectem dividitur νόμος, lex, εἰς γεγραμμένον καὶ κοινὸν ἢ ἄγραφον, in ſcriptam & communem aut non ſcriptam. Utriuſque generis exempla ſunt pro Milone: In priore ineſt etiam comparatio á majori ad minus: Leges duodecim tabularum dant impunitatem interficiendi furem: Jubent igitur & eum impunē occidi, qui vim alteri fecerit. Alterum exemplum eſt à lege naturali, quæ jubet ut contra vim hoſtium, naturam ſalvam & incolumem tueamur. *Sententiæ*] In teſtimoniis humanis numerantur ſententiæ poētarum & inſignium hominum, ut docet Ariſtoteles capite decimo quinto primi Rhetorici, ubi poētas ait eſſe παλαιοὺς μάρτυρας, veteres teſtes: ὅτιον Ἀθηναῖοι Ὁμήρῳ μάρτυρι ἐχρήσαντο περὶ Σαλαμῖνος, καὶ τενέδιοι ἔναγχος περιάνδρῳ τῷ κορινθίῳ πρὸς Σιγιεῖς, καὶ Λεόφρων πρὸς κριτίαν τοῖς τόλωνος ἐλεγείοις ἐχρήσατο· Sicut Athenienſes uſi ſunt Homero teſte pro Salamine, & Tenedii nuper Periandro Corinthio adverſus Sigienſes, & Leophron contra Critiam Solonis elegiis uſus eſt: Solon autem perſuaſit Salaminam inſulam eſſe Athenienſium, quia Homerus libro ſecundo Iliados in catalogo navium id confirmare videretur: Lege Diogenem in vita Solonis. Tenedii cum Sigienſibus de agro intermedio contendentes, teſtimonio & arbitrio Periādri controverſiā totam componi voluerunt: Vide Strabonem libro decimo tertio Geographiæ. Sic Leophron, filius (ut opinor) Periandri ſapientis, contra Critiam tyrannum

rannum verſibus iis eſt uſus, quos Solon adverſus Piſiſtratum tyrannum compoſuerat. Sic Plato & Ariſtoteles ad exornandam ſuam philoſophiam, verſus antiquorũ poëtarum citant, ut Parmenidis, Homeri, Orphei, Empedoclis, Heſiodi, Theognidis, Simonidis, &c. *Proverbia*] Idem etiam admonet Ariſtoteles his verbis: ἔτι δὲ αἱ παροιμίαι, ὥσπερ εἴρηται, μαρτυρίαι εἰσὶν· εἴ τις συμβουλεύει μὴ ποιεῖσθαι φίλον γέροντα, τοῦτο μαρτυρεῖ ἡ παροιμία, μὴ πρὸς τὴν ἡβὴν γέροντα· Item parœmiæ, ut dictum eſt, teſtimonia ſunt: ſi quis conſulit amicum ſenem non eſſe beneficiis afficiendum, proverbium hoc teſtificabitur, non eſſe beneficium in ſene collocandum. *Pacta*] In pactis ſunt tabulæ privatæ & publicæ, quæ ad quæſtionem affirmandam aut negandam afferuntur: Item fœdera privata & publica, quæ non ſcribũtur: quale fuit pactum Antonii cum Cæſare de evertenda Republica: quale etiam eſt illud promiſſum Ciceronis de Octavio Cæſare, quod habuit maximam vim teſtimonii: Octavius adoleſcens erit optimus civis, quia Cicero promittit eum talem fore. *Pignus*] Pignus, eſt id quod deponitur ab his, qui decertant apud ſequeſtrum: Sic Damœtas invitans Menalcam ad certamen cantus, oppignerat vitulam: & pauló póſt uterque pocula affabré elaborata. *Quæſtio*] Quæſtionem, intelligimus tormenta & dolorem corporis ad eruendam veritatẽ: Sed eodem nomine tormentis expreſſam confeſſionem dicimus: Ariſtoteles in Rhetoricis βάσανον vocat, atque ita definit decimo quarto capite ad Alexandrum: βάσανος δὲ, ἔστιν ἡ μὲν ὁμολογία περὶ σωιζόντος, ἐλέγχου δὲ· Quæſtio, eſt confeſſio quidem conſcii, ſed coacti: Ut confeſſiones ſervorum & reorum tormentis expreſſæ. *Huc etiam*] βάσανος dicitur ab Ariſtotele non ſolúm tormentum, ſed etiam experientia & probatio: Cúm autẽ jubemus contradicentem experiri, videmur velle approbationem ejus rei, de qua agitur, ab eo extorquere: ut apud Terentium Parmeno, cúm Thaidi laudari vult Chæream ſimulatum Dorum Eunuchum, & á Phædria dono miſ-

ſum, ſentitque Gnatonem & Thraſonem adverſari, jubet ambos experiri, quid Dorus poſſit in literis, in palæſtra, in muſicis. *Quod magis*] Invehitur in maledicũ, eique experientiam laborum & ærumnarum ſuarum proponit, ut tandem maledicere deſinat. *Juſjurandum*] Juſjurandum, eſt affirmatio religioſa: ὅρκος δέ, ἔστι μετὰ θείας παραλήψεως φάσις ἀναπόδεικτος· Juſjurandum, eſt cum obteſtatione divina indemonſtrabilis affirmatio: id eſt quæ demonſtrari non poſſit. Veteres ethnici jurabant per Jovem cæteroſque deos, ut apud Virgilium Aeneas per deos ſuperos & inferos teſtatur, ſe invitũ & divino juſſu coäctum, Carthagine deceſſiſſe in Italiam: quæ affirmatio Aeneæ, interpoſitis diis teſtibus, juſjurandum eſt, id eſt ſancta & religioſa affirmatio.

Argumentum] Hactenus deſcripta ſunt genera argumenti inartificialis: ad extremum natura illius & facultas & uſus explicantur: quæ explicatio, definitionem hujus generis antea poſitam, clariorem: illuſtriorem efficit: hoc igitur logicum axioma (Argumentum inartificiale, cúm ſubtiliús veritas exquiritur, non multúm per ſe poſſe) ex definitione ſumptum eſt, quod tribus locis Platonis illuſtrari poteſt in Protagora, in Gorgia & in Charmide. *Itaque Plato*] Socrates Protagoram ridet á re propoſita ad quæſtionem de poëtis digreſſum, quos citat ut locupletiſſimos teſtes: καὶ γὰρ δοκεῖ μοι τὸ πρὸς ποιήσεως διαλέγεσθαι ὁμοιότατον εἶναι τοῖς συμποσίοις τοῖς τῶν φαύλων καὶ ἀγοραίων ἀνθρώπων· καὶ γὰρ οὗτοι διὰ τὸ μὴ δύνασθαι ἀλλήλοις δι' ἑαυτῶν σωπᾶν οὐδὲ τῷ ποτῷ, μὴ δὲ διὰ τῆς ἑαυτῶν φωνῆς καὶ τῶν λόγων τῶν ἑαυτῶν ὑπὸ ἀπαιδευσίας, τιμίας ποιοῦσι τὰς αὐλητρίδας, πολλοῦ μισθούμενοι ἀλλοτρίαν φωνὴν διὰ τῶν αὐλῶν, καὶ διὰ τῆς ἐκείνων φωνῆς ἀλλήλοις σύνεσιν· ὅπου δὲ καλοὶ κἀγαθοὶ συμπόται καὶ πεπαιδευμένοι εἰσὶν, οὐκ ἂν ἴδοις οὔτ' αὐλητρίδας, οὔτε ὀρχηστρίδας, οὔτε ψαλτρίας, ἀλλὰ αὐτοὺς αὐτοῖς ἱκανοὺς ὄντας σωπᾶν, ἄνδρι τῶν λήρων τε καὶ παιδιῶν τούτων, διὰ τῆς αὐτῶν φωνῆς λέγοντάς τε καὶ ἀκούοντας ἐν μέρει ἑαυτῶν κοσμίως, κἂν πάνυ πολὺν οἶνον πίωσιν· οὕτω δὲ καὶ αἱ τοιαῖδε συνουσίαι, ἐὰν μὲν λάβωσι ἀν-

δρῶν,

δρῶν, οἷοίπερ ἡμῶν οἱ πολλοί φασιν εἶναι, οὐδὲν δέονται ἀλλοτρίας φωνῆς, οὐδὲ ποιητῶν, οὓς οὔτε ἀνέρεσθαι οἷόν τ' ἐστὶ περὶ ὧν λέγουσιν· ἐπαγόμενοί τε αὐτοὺς οἱ πολλοὶ ἐν τοῖς λόγοις, οἱ μὲν ταῦτά φασι τὸν ποιητὴν νοεῖν, οἱ δ' ἕτερα περὶ πράγματος διαλεγόμενοι, ἀδυνατοῦσιν ἐξελέγξαι· ἀλλὰ τὰς μὲν τοιαύτας συνουσίας ἐῶσι χαίρειν· αὐτοὶ δ' ἑαυτοῖς σύνεισι δι' ἑαυτῶν, ἐν τοῖς ἑαυτῶν λόγοις πεῖραν ἀλλήλων λαμβάνοντες καὶ διδόντες. τοὺς τοιούτους μοι δοκεῖ χρῆναι μᾶλλον μιμεῖσθαι ἐμέ τε καὶ σὲ, καταθεμένους τοὺς ποιητὰς, αὐτοὺς δι' ἡμῶν αὐτῶν πρὸς ἀλλήλους τοὺς λόγους ποιεῖσθαι τῆς ἀληθείας, καὶ ἡμῶν αὐτῶν πεῖραν λαμβάνοντας· Videtur enim mihi disputatio de rebus poëticis, persimilis esse conviviis imperitorum plebeiorumque hominum: Qui cúm propter inscitiam nequeant invicem propria voce suisque sermonibus ipsi colloqui, mercede exhibita tibicines introducũt, & aliena voce, id est tibiarum flatu, convivium trãsigunt: Ubi autem boni præclarique & eruditi viri conveniunt, neque tibicines ipsi neque saltatrices, neque cantatrices ullas videas, sed voce propria remotis iis nugis jocisque convivium celebrare, & alterius interrogationibus responsionibusque modesté disserere, etiam si vinum abundé bibant. Eodem modo ad disputationes hujuscemodi si viri conveniunt tales, quales esse nostrũ plurimi prædicant, haudquaquam aliena voce opus est, neque poëtarum, quos percontari de his, quæ scribunt, non datur: & qui eorum testimonia in medium afferũt, alij hoc, alii aliud poëtam dicunt sentire: neque tamen convincere rem possunt, de qua disserunt, aut expedire. Tales ergo confabulationes viri sapientes mittunt, ipsique inter se colloquuntur, vicissimque ingenii periculum faciũt: Disputatores autem hujusmodi, ut arbitror, ego & tu nunc imitari debemus: & poëtis posthabitis, nostris rationibus rem ipsam discutere, facereque tam ingenii nostri, quám veritatis periculum. Secundus locus est in Gorgia, cúm Polus juvenis de beata vita disputans, authoritate testium maximé niteretur, Socrates eum admonet, veritatem in disputando non ex te-

ste aliquo, sed ex argumento esse ponderandam, ut ea disputandi ratio sit optima, cúm unicus in caussa adversarius ratione convictus fuerit: quo loco duos modos disputationis ostendit, unum cúm testibus opprimitur adversarius, alterum cúm rationibus & argumentis cõvincitur: Verba Socratis sunt: Ἀλλ' ἐγώ σοι εἷς ὢν οὐχ ὁμολογῶ· οὐ γὰρ με σὺ ἀναγκάζεις· ἀλλὰ ψευδομάρτυρας πολλοὺς κατ' ἐμοῦ παρασχόμενος, ἐπιχειρεῖς ἐκβάλλειν με ἐκ τῆς οὐσίας καὶ τοῦ ἀληθοῦς, ἐγὼ δὲ ἂν μὴ σὲ αὐτὸν ἕνα ὄντα μάρτυρα παράσχωμαι, ὁμολογοῦντα περὶ ὧν λέγω, οὐδὲν οἶμαι ἄξιον λόγον πεπεράνθαι, περὶ ὧν ἂν ἡμῖν ὁ λόγος ᾖ· οἶμαι δὲ οὐδὲ σὺ, ἐὰν μὴ ἐγώ σοι μαρτυρῶ εἷς ὢν μόνος, τοὺς δ' ἄλλους πάντας τούτους χαίρειν ἐᾶς· ἔστι μὲν οὖν οὗτός τις τρόπος ἐλέγχου, ὡς σύ τε οἴει καὶ ἄλλοι πολλοί· ἔστι δὲ καὶ ἄλλος, ὃν ἐγὼ αὖ οἶμαι· παραβάλλοντες οὖν παρ' ἀλλήλους σκεψώμεθα, εἴτι διοίσουσιν ἀλλήλων· At ego unus tibi non assentior: non enim me rationibus cogis, sed falsis testibus cõtra me productis, ex ipsa veritatis substantia dejicere me moliris: Ego veró nisi teipsum testem unum adduxero mihi assentientem, nihil existimatione dignum in his, quæ tractamus, perfecisse me arbitror: Nihil etiam te profecturum puto, nisi ego, unus solusque tibi consentiam: tum dimissa aliorum testium multitudine id ipsum efficias. Est igitur unus, ut dixi, iste arguendi modus, quemadmodum tu aliique multi putatis: Est & alter, quem ego puto: Eos igitur invicem comparantes, utrúm & quo pacto inter se discrepent, diligenter consideremus. Locus in Charmide Platonis hic est: Ἀλλὰ τί διαφέρει, ἦ δ' ὃς ὁ Χαρμήδης, ὦ Σώκρατες, ὅτου ἤκουσα; οὐδὲν, ἦν δ' ἐγώ. πάντως γὰρ οὐ τοῦτο σκεπτέον. ὅς τις αὐτὸ εἶπεν, ἀλλὰ πότερον ἀληθὲς λέγεται, ἢ οὔ. Νῦν ὀρθῶς λέγεις, ἦ δ' ὅς· Νὴ Δία, ἦν δ' ἐγώ. Quidnam refert (inquit Charmides) o Socrates, ex quo audiverim? Nihil (inquam) profectó: Neque enim id considerãdum est, quis dixerit, sed utrúm veré dicatur, necne. Probé nunc loqueris, inquit. Recté per Jovem, inquam. Simile est illud Socratis in Critone: σκοπεῖσθαι οὖν χρὴ ἡμᾶς, εἴτε ταῦτα πρακτέον, εἴτε μὴ· ὡς ἐγὼ οὐ μόνον νῦν, ἀλλὰ

καὶ

καὶ ἀεὶ πιστοὶ, δίκης τὴν ἡμῶν μᾶλλον ἄλλῳ πείθεσθαι, ἢ τῷ λέγῳ, ὃς ἂν μοι λογιζομένῳ βέλτιστος φαίνηται. Considerandum est igitur, agendane hæc nobis sint, an non: Nam ego is sum non modó nunc, sed & semper, qui meorum nulli paream, præterquam rationi, quæ ratiocinanti mihi optima videatur. *Sed hæc*] Aristoteles secundo capite libri primi ad Theodectē: ἄτεχνα δὲ λέγω, ὅσα μὴ διὰ ἡμῶν πεπόρισται, ἀλλὰ πρόυπῆρχεν· probationes, ait, inartificiales voco, quæ á nobis non inveniuntur, sed priús inerāt in caussa. Cicero in Partitionibus: Nec eó dicuntur sine arte, quód ita sint, sed quód ea non pariat ars orationis, sed ad se delata tamen tractet. Quintilianus capite primo libri quinti probationes inartificiales vocat, quas extra dicēdi rationē accipit orator. Aristoteles igitur & Aristotelē secuti Cicero & Quintilianus, argumēta appellant ἄτεχνα, id est expertia artis, quód ea orator non inveniat, sed á litigatore extrinsecús assumantur: quám rectē, ipsi viderint: Nam & testimonia plerunque ab oratore inveniuntur, ut poëtarum & philosophorum: & argumenta alia artificialia sæpe á litigatore ad oratorem deferuntur, ut adjuncta, facta, subjecta: appellentur igitur potiús inartificialia, quód ex se & sua natura minimum habeant artis, id est fidei & probationis: Nec enim quia aliquid quis dixerit, iccirco verum esse putādum est: Rectēque Aristoteles capite octavo libri primi de interpretatione ait: οὐδὲ γὰρ διὰ τὸ κατα φαθῆναι ἢ ἀποφαθῆναι, εἶναι ἢ οὐκ εἶναι· Neque enim propterea quód affirmatum aut negatum sit, id erit aut non erit. Quamobrem veritas argumenti inartificialis, caussis, factis, subjectis, adjunctis personarum & rerum, quæ testimonii caussa proferuntur, examinanda & expendenda est. *Mores enim*] Mores, sunt adjuncta personarum, ut prudentia, bonitas, benevolentia, unde fides habetur inartificialis argumenti, ut Aristoteles obiter docet capite secundo libri primi ad Theodectem: planiús autem capite primo libri secundi: τῶ μὲν οὖν αὐτὸς εἶναι πίστεις τὰς λέγοντας, τρία εἰσὶ τὰ αἴτια· τοσαῦτα γὰρ ἐστὶ δι' ἃ πιστεύομεν

ἔξω τῶν ἀποδείξεων. ἔστι δὲ ταῦτα, φρόνησις καὶ ἀρετὴ καὶ εὔνοια. Ut igitur qui dicunt, fide digni ſint, tres ſunt cauſſæ: tot enim ſunt, quæ extra demonſtrationem fidem faciunt, prudentia, virtus & benevolentia. ἀνάγκη ἄρα τὸν ἅπαντα δοκοῦντα, ταῦτα ἔχειν εἶναι τοῖς ἀκροωμένοις πιστόν. Neceſſe eſt igitur ſi cui hæc omnia ineſſe videātur, eum fide dignum eſſe apud auditores. Credimus oraculis divinis & prophetiis divino afflatu emiſſis, quia Deum ſummé ſapientem & bonum & benevolum eſſe credimus: ideoque ſemper veracem & nunquam mendacē: & de hominum genere his credimus, qui propter prudentiam vera ſentire, propter bonitatem ea dicere, quæ ſentiunt, propter benevolentiam nobis rectè conſulere velle videantur. Quamobrem argumenta inartificialia, quæ per ſe nihil, aut certé parum poſſunt, adhibitis perſonarum circunſtantiis, fidei aliquid & probationis habent. *Denique*] Maximus uſus hujus argumenti cernitur in civilibus negotiis & judiciis: his enim lites inſtruuntur, & de capite, fama fortuniſque civium judicatur: Qua de cauſſa Rhetores eum locum in utranque partem ſtudioſé tractarunt, ut pro teſtibus & contra teſtes copioſiſſima dicendi materia ſuppeditaret: & Jureconſulti multó diligentiús & ſubtiliús rem totam expéderunt, ut ex eorum libris cognoſces.

PERORATIO INVENTIONIS.

Hactenus prima pars Dialecticæ expoſita eſt: cujus partes ſingulares non ita perpetuò diſtinguuntur, quin eadem res eſſe poſſit cauſſa & effectus, ſubjectum & adjunctum, & cætera omnia: ut homo efficitur ex ſuis cauſſis, & alia etiam efficit: ſubjectum eſt multorum adjunctorum, & adjunctum etiam eſt cujuſdam ſubjecti, ut terræ: pluribus opponi & cōparari omni modo

modo poteſt: totum eſt ſuarum partium, & pars alicujus totius, ut mundi: genus eſt Platonis & Ciceronis, ſpecies etiam animalis: Imó idem argumentum in eadem quæſtione variis modis accipi poteſt: Rullus opprimit populum: non eſt igitur popularis: effectum eſt Rulli: eſt etiam oppoſitum popularis, ut etiam ex parte conjugatum: Attamen ratio & definitio cujuſque argumenti diſtincta & diſſimilis eſt: Itaque locis his eaque ratione diſtinctis, omnes vias cujuſque rei inveniendæ propoſitas habemus: Quanvis Menon inventionem tollere videatur, cúm hoc modo contra Socratem diſputat: At qua via quæres, o Socrates, quod omnino quid ſit, ignoras? quam tandem ejus rei, quam neſcias, notam ſpectans & intuens inquires? aut etiam ſi vel maximé in illud incurreris, quo pacto quod ignoras, illud ipſum quod quæris, eſſe percipies? So. Intelligo quid velis, o Menon: Vides quám captioſam, quamque contentioſam rationem induxeris, nempe quód homini non conveniat inquirere neque quod ſciat, neque quod neſciat: Neque enim quod ſciat, inquiret: id quippe jam nactus eſt, nec id poſtea inveſtigare neceſſe eſt: neque item quod neſciat, inquiret: nec enim noverit, quod inquiret. Socrates hoc dilemma ſic retexit, & Pythagorea neſcio qua philoſophia diſſolvere nititur, dum diſſerit hominum divinorum teſtimoniis, animos noſtros immortales eſſe: qui res omnes o-

mnino penituſque percepiſſent & tenuiſſent, earum notitiam veluti conſignatam & impreſſam in corpora attuliſſent: ſed cúm ſubitó in tam alienum tamque confuſum & turbatum domicilium ingrederentur, in præteritarum rerum oblivionem incidere, quarum, cúm ſeſe collegiſſent, paulatim reminiſcerentur: Itaque nihil eſſe mirum ſtatuebat, ſi animus, omnium rerum reminiſceretur, cúm eas intelligentia & memoria anté complexus eſſet: Nam cúm rerum omnium natura ſibi cognata ſit & cõſentiens, eamque totam perceperit animus, nil prohibeat unius cujuſdam recordatum, cætera connexa & conjugata recordari, ſi modó ſtrenuus in quærendo conſtanſque ſit, nec quærendi labore frãgatur ac debilitetur: Illud enim inquirere, non aliud fuerit, quám reminiſci & recordari. Socrates igitur hoc modo Menonis dilemma refellere voluit. Ariſtoteles ſecundo de Syllogiſmo & primo de Demonſtratione aliam ſolutionis viam tentavit, cúm ait eum, qui quærit, generaliter ſcire, quod quærit, ſed ſpecialiter ignorare: Itaque generali nota ſpecialem recognoſcturum quanvis ejus ignarus eſſet. Hæc Ariſtotelis ſolutio parte quadam vera eſt: nam ubi generales artium & doctrinarum leges percepimus, res ſpeciales exquirimus, eaſque de generali notitia anté nota agnoſcimus: Veruntamen ſi Meno reſponſum Ariſtotelis perſequatur, eique primam hominum inventionem objiciat, cúm nihil neque

que generale, neque ſpeciale eſſet obſervatum, hæc ſolutio ſatisfacere non poſſet: Quare ut tota res pleniús explicetur & ſolvatur, afferemus potiús quod á Socrate dicitur: in animo naturalem quandam vim ineſſe omnia cognoſcendi, cúm dirigetur & convertetur ad ea cognoſcendum: Quod Ariſtoteles etiam ſecutus eſt ſecundo de Demonſtratione, cúm ait non ab animis, ut Socrates aliquando dixit, in corpora noſtra rerum notitias importari, ſed facultatem & vim cognoſcendi: ut neque oculi noſtri ab utero matris colorum ſpecies afferunt, ſed tantúm potentiam intuendi: Quare, tametſi homo rerum omnium ignarus ſit, non ideó tamen quærere nõ debeat, & invenire nequeat, cúm in ſeipſo naturalem facultatem habeat omnia cognoſcendi: cúm veró ante oculos poſuerit, inveniendi artem ex his generibus univerſis, tanquam ſpeculum aliquod, ſpecies rerum univerſales, & generales imagines complexum, longé faciliús ei fuerit ſingulares ſpecies ex his recognoſcere, ideoque invenire quod quæſierit: Veruntamen multis exemplis, magna exercitatione, longo uſu poliendum eſt hoc ſpeculum, antequám reluceat, ac has imagines exprimat: omninoque hi loci, ut Cicero ait ſecũdo de Oratore, tum prodeſſe poterunt ei, qui eſt verſatus in rebus vel uſu: quem denique ætas affert vel auditione & cogitatione, quæ ſtudio & diligentia præcurrit ætatem: Nam ſi tu mihi quanvis eruditum hominem adduxe-

ris,quanvis acrem & acutum in cogitando,quãvis ad pronuntiandum expeditum,si erit in consuetudine civitatis,in exemplis, in institutis, in moribus ac voluntatibus suorum civium hospes, non multúm illi ii loci proderunt, ex quibus argumenta promuntur: Subacto mihi ingenio opus est, ut agro non semel arato, sed novato & iterato, quò meliores fœtus possit & grãdiores edere: Subactio autem, est usus, auditio, lectio, literæ. Quamobrem ut omnino quævis alia doctrina,sic logica, præcipué in hac parte, bona sua desidiosis & inertibus nihil credit, sed industriis tantúm & diligẽtibus distribuit:& quidem æqua portione,ut labori merces respondeat.

Hactenus] Peroratio tria docet, quód argumentorum genera ratione tantúm distinguantur, quemadmodum disputatio Menonis contra inventionem solvitur,quód logica inventio diligenter exerceri debet: Genera igitur argumentorum priús exposita, tametsi singula vim propriam habeant,ratione feré sola separantur: Potest enim res eadem modó esse causa aut effectus, modó subjectum aut adjunctum, modó oppositum, modó comparatum, modó ex alio atque alio genere: ut homo,est causa boni & mali,& effectum earum partium, ex quibus cõponitur, & subjectum sanitatis & morbi, & adjunctum terræ,& contrarium bestiæ, & similis angelo: &c. Sed variæ sunt rationes, cur homo hoc vel illud dicatur: quinetiam idem argumentum in eadem quæstione diversis partibus accommodatum, ad alium atque alium locum pertinet:ut, exempli gratia, Rullus opprimit populum:ergo non est popularis: Opprimere populum,est effectum Rulli: idemque opprimere populum,opponitur parti quæstionis,videlicet,popularis: atque etiam ex parte conjugatum est: quod cúm accidet,

det, ad magis insignem locum referendum erit, ut in proposito exemplo, dicam locum potiús esse ex oppositis, quám ex effectis aut ex conjugatis. Aristoteles docet capite decimo septimo libri secundi posteriorum Analyticorum, argumentum, rationem esse primi extremi: ἔστι δὲ τὸ μέσον, λόγος τοῦ πρώτου ἄκρου. Sed hæc præceptio nec perpetua est, nec necessaria, quia non solúm ex majore extremo quæstionis, sed etiam ex minore argumentum ducitur. *Itaque*] Transitus est ad alteram partem perorationis, ubi adversus logicam rerum inventionem dilemma Menonis texitur & retexitur: Locus hic est apud Platonem in Menone: ὅμως δὲ ἐθέλω μετὰ σοῦ σκέψασθαι καὶ συζητῆσαι, ὅ,τι ποτέ ἐστι· Μέ. Καὶ τίνα τρόπον ζητήσεις ὦ Σώκρατες, τοῦτο ὃ μὴ οἶσθα, τὸ παράπαν ὅ,τι ἐστί; ποῖον γὰρ ὧν οὐκ οἶσθα προθέμενος ζητήσεις; ἢ εἰ καὶ ὅτι μάλιστα ἐντύχοις αὐτῷ, πῶς εἴσῃ; ὅτι τοῦτό ἐστιν, ὃ σὺ οὐκ ἠπίστω. Σω. Μανθάνω οἷον βούλει λέγειν, ὦ Μένων· ὁρᾷς τοῦτον ὡς ἐριστικὸν λόγον καταλγεῖς; ὡς οὐκ ἄρα ἔστι ζητεῖν ἀνθρώπῳ, οὔτε ὃ οἶσθα, οὔτε ὃ μὴ οἶσθα· οὔτε γὰρ ἂν ὃ οἶσθα, ζητοῖ· οἶσθα γὰρ· καὶ οὐδὲν δεῖ τῷ γε τοιούτῳ ζητήσεως. οὔτε ὃ μὴ οἶσθα· οὐδὲ γὰρ οἶσθ' ὅ, τι ζητήσει. Μέ. Οὐκοῦν καλῶς σοι δοκεῖ λελέχθαι ὁ λόγος οὗτος, ὦ Σώκρατες; Σω. Οὐκ ἔμοιγε. Cupio tecum considerare & exquirere quidnam sit virtus. Me. At qua via quæres, o Socrates, quod omnino quid sit ignoras? quam tandem ejus rei, quam nescias, notam spectans & intuens inquires? aut etiam si vel maximé in illud incurreris, quo pacto quod ignoras, illud ipsum, quod quæris, esse percipies? So. Intelligo quid velis, o Meno: Vides quám captiosam quámque contentiosam rationem induxeris: nempe quód homini non conveniat inquirere, neque quod sciat, neque quod nesciat: neque enim quod sciat, inquiret: id quippe jam nactus est, neque id præterea necesse est investigare: Neque veró etiam quod nesciat, inquiret: non enim, noverit, quod inquiret.

Socrates hoc] Socrates respondet ad secundam partem captiosi dilemmatis: Quod nescis, quomodo inquires? Per ἀνάμνησιν (ait) id est recordationem, cúm strenuus

& diligens animus earum rerum recordabitur, quas antea memoria & intelligentia comprehenderat: Qua de cauſſa Socrates Pythagoream μετεμψύχωσιν, id eſt animæ ex alio in aliud corpus migrationē, & ἀνάμνησιν, recordationem ſuperioris vitæ commemorat, ut contentioſam & fallacem Menonis rationem diſſolvat.

Ariſtoteles] Ariſtoteles reſpondet ad utranque partem dilemmatis, hoc modo: Imó veró quod quæro, & ſcio & neſcio: Scio quidem καθόλου, generaliter: neſcio autem ἁπλῶς, abſoluté & ſpecialiter. Hæc ſolutio eſt apud Ariſtotelem capite primo libri primi poſteriorum Analyticorum, unde intelligimus animum notionibus univerſis, ad ſingulares inveſtigandas & percipiendas deduci: Idē Ariſtoteles viceſimo primo capite libri ſecūdi priorum Analyticorum ſcribit, hominem generalibus artis præceptis eruditum, uſu veró non eruditum, falli & decipi poſſe: aliudque eſſe ſcire ὡς τὴν καθόλου, ſciētia univerſali, aliud ὡς τῷ ὑπάρχειν, actu. *Hæc Ariſtotelis*] Ariſtotelis ſolutio contra Menonis dilemma, parte aliqua laudatur, parte etiam alia reprehenditur: laudatur quidem in tradendis artibus, in quibus á notione rerum univerſalium, ad notionem ſpecialium facilé deducimur: Ideoque ex eo quod generaliter ſcimus, inquirimus tandē, quod ſpecialiter neſciebamus. *Veruntamen*] Ariſtotelis ſolutio reprehenditur exemplo ſpeciali: Primis hominibus cúm nulla ars adhuc eſſet inventa, neque generales, neque ſpeciales inventiones fuerūt: qua via igitur primi illi homines, quod neque καθόλου, neque ἁπλῶς ſciebant, inveſtigarunt? Quare neque Socratis, neque Ariſtotelis ſolutio ſatisfacit ad ſophiſma Menonis: alia igitur adhibetur ex aliis Platonis & Ariſtotelis locis deprompta: Plato libro ſeptimo de Republica (ut initio hujus operis diximus) docet in animis noſtris ineſſe vim quandam percipiendæ ſapientiæ: qualis eſt in oculo, intuendi coloris: res autem animo percipi, cū animus ipſe eó ſe convertit, quod ex ſe & natura ſua poteſt intelligere. Quemadmodū igitur quod anté nūquam

quam vidisti, inquiris, & vides applicatione visus ad colorem, sic quod non intelligebas, inquiris & cognoscis conversione mentis ad rem intelligendam. Eadem est sententia Aristotelis capite ultimo libri secundi posteriorum Analyticorum: in animis videlicet nostris omnium scientiarum atque notionum δυνάμεις, facultates, οὐχ ἕξεις, non habitus inesse. *Veruntamen*] Tertius perorationis locus est, de exercenda arte topica, quemadmodum Antonius præcipit apud Ciceronẽ libro secundo de Oratore: Quæ admonitio, ad omnes omnino artes pertinet, quarum præcepta sunt ignavæ & inertes rationes: parumque hominibus prosunt, nisi longo usu & assidua diligentia exerceantur & tanquam excolantur. *Subacto*] Allegoria sumitur ab agris, qui ut fertilitatis amplificandæ gratia non semel tantúm, sed sæpiús arantur, sic hominis ingenium ad pariendam rerũ prudentiam & copiam, varia & multiplici exercitatione & cogitatione subigendum & locupletandum est. *Quamobrem*] Conclusio est á dissimilibus: Desidiosi ab hac arte non multúm juvantur: at diligentes multúm adjuvantur, & labori suo æquale præmium ferunt: ut quanta fuerit in his diligentia, tantus sit fructus: si exigua, exiguus: si modica, modicus: si magna, magnus.

FINIS LIBRI PRIMI.

PETRI RAMI DIALECTICÆ LIBER SECUNDUS, Audomari Talæi prælectionibus illustratus:

ENUNTIATIO SIMPLEX.

IUDICIUM, est secunda pars Logicæ, quæ bene judicandi vias & rationes certis dispositionis regulis instituit: Dispositio logica tres species habet, enuntiationem, syllogismum, methodum. Enuntiatio, est dispositio, qua enuntiatur aliquid de aliquo. Partes duæ sunt, prima dicitur antecedens, secũda, consequens. Enuntiatio affirmata est, si vinculum affirmatur, contraque, ex eo negato negatur,

tur,ut per ſpecies intelligetur. Enuntiatio,ſimplex eſt aut compoſita:Simplex, quæ ſimplicem ſententiam continet:ubi partes, termini vocantur:antecedens,dicitur ſubjectum : conſequens, attributum, ut ignis urit,ignis eſt calidus, ignis non eſt aqua. Hic prima eſt rerum inventarum diſpoſitio,in qua ſunt duæ partes, altera antecedens & ſubjecta,altera conſequens & attributa: ut hic ignis urit,Ignis,eſt pars antecedẽs & ſubjecta,Urit, conſequens & attributa. Atque harum partium altera eſt cauſſa vel effectus, ſubjectum vel adjunctum, aut é cæteris argumentis aliquod unum de ſuo relato enuntiatum: ut in primo exemplo cauſſam vides & effectum,in ſecundo, ſubjectum & adjunctum,in tertio oppoſitum cum oppoſito. Enuntiationis ſimplicis vinculum,ſemper,eſt verbum, ex coque affirmato erit affirmatio, ut etiam é negato erit negatio·Enũtiatio ſimplex, eſt communis aut propria: Communis, cujus partes ſunt multorum communes:eaque generalis aut ſpecialis eſt:Generalis,cúm generaliter enuntiatur, ut, Omnis virtus eſt amabilis,Nulla virtus eſt amabilis:Specialis,cúm ſpecialiter enuntiatur,ut, Aliqua virtus eſt amabilis, Aliqua virtus non eſt amabilis: Enuntiatio propria,cujus pars eſt unius propria, ut, Plato eſt philoſophus, Plato non eſt philoſophus.

Judicium] Dialectici veteres ſecundam partem Logicæ artis,κρίσιν & κριτικὴν,judicium & judiciariam nominarunt ex fine, quia certis diſpoſitionis regulis do-

cet de propositis rebus judicare: & τάξιν, dispositionem, quia docet res inventas apté ad judicandum collocare, sic Aristoteles primo capite octavi Topici: μετὰ δὲ ταῦτα (ait) πρὸς τάξιν, καὶ πῶς δεῖ ἐρωτᾶν, λεκτέον· Postea de dispositione, & quomodo interrogare conveniat, dicendum est: Quemadmodum igitur grammatica syntaxis explicat dictionum compositionem, sic dialectica τάξις, rationum collocationem ostendit: ut, Homo est animal, dialectica τάξις est, in qua genus disponitur cum specie. In Analyticis Aristoteles videtur nominibus κατάσεως καὶ ἀναλύσεως, hanc artem comprehendisse, & instituisse si non omnino, saltem in parte. Illic enim de enuntiatione, syllogismo, methodo præcipit. Nos eam partem nominibus judicii & dispositionis, quæ sunt & usitatæ & aptæ significationis, appellabimus: quibus (sicut cæteris Logicæ vocabulis) duplex notio subjecta est: Nam judicium & dispositio, interdum dicuntur pro regulis judicandi & disponendi, quales sunt regulæ enuntiationum, syllogismorum & methodi: interdum significant aptam rerum dispositionem, quæ fit secundum hujusmodi regulas. *Dispositio*] Nihil interest ad docendum, dispositio an judicium distribuatur: nam (ut anté dixi) utrunque indifferenter pro eodem usurpamus. Dispositionis igitur tres sunt species, enuntiatio, syllogismus, & methodus: Nam in his singulis & res artificiosæ disponuntur, ut posthac docebitur, & quales sint, dijudicantur: ut in enuntiatione, attributū disponitur cum subjecto: in suo syllogismo, argumentū cum quæstione & ejus partibus: in methodo, generalia primó, deinde intermedia, postremó specialia collocantur: & his generibus, hominum intelligentia & judiciū instruitur & confirmatur. *Enuntiatio*] Prima species dispositionis ab Aristotele nominatur ἀποφάνσεις, ut primi libri de Interpretatione capite quarto: & πρότασις, ut primo capite libri primi priorum Analyticorum: à Cicerone enuntiatio, ut de Fato: Explicanda est vis ratioque enuntiationum, quas Græci ἀξιώματα appellant.

Item

Item enuntiatum & pronuntiatum, ut Tuſculana prima: Omne pronuntiatum (ſic enim mihi in præſentia occurrit, ut appellarem ἀξίωμα· utar póſt alio, ſi invenero melius) id ergo eſt pronuntiatum, quod eſt verum aut falſum. In Lucullo etiam dicitur effatum: ut: Fundamentum Dialecticæ eſt, quicquid enuntietur (id autem appellatur, ἀξίωμα, quod eſt quaſi effatum) aut verum eſſe, aut falſum. Ariſtoteles hoc genus definit ab adjunctis qualitatibus: aliás veritate & falſitate, ut libro de Interpretatione primo dicitur λόγος ἀποφαντικὸς, ὃν ᾧ τὸ ἀληθεύειν ἢ ψεύδεσθαι ὑπάρχει· oratio enuntians, in qua verũ aut falſum ineſt: aliás affirmatione & negatione, ut libro primo priorum Analyticorum: πρότασις μέν ἐστι λόγος καταφατικὸς ἢ ἀποφατικός τινος κατά τινος· Propoſitio igitur, eſt oratio affirmans aut negans aliquid de aliquo. Sed multó commodiús definitur ex genere & proprietate, quæ eſt inſtar formæ eſſentialis: Diſpoſitio ſiquidem, genus eſt enuntiationis, & enuntiare aliquid de aliquo, proprietas quædam eſt, & veluti forma: & ex hac definitione diſcimus, in enuntiato rationes certo quodam modo ſimplici aut compoſito diſponi, quod Ariſtotelis definitio aperté non docet. *Partes*] Prima enuntiationis diſtributio eſt in partes, ex quibus cõſtituitur, & in quas reſolvitur, quas generaliter appellare licebit antecedentem & conſequentem: ut exempli gratia, in hoc enuntiato, Dies eſt, dies, antecedit: verbũ autem, eſt, conſequitur: Si dies eſt, lux eſt: illud totum, ſi dies eſt, appellatur pars antecedens: hoc autem, lux eſt, pars conſequens: nec quicquam intereſt an partes enuntiationis, dictiones ſimplices ſint, an orationes. Judicii autem hujus primi author primus fuit Clinomachus, de quo Laërtius libro ſecundo: κλινόμαχος (ait) ὁ Θούριος, πρῶτος περὶ ἀξιωμάτων καὶ κατηγορημάτων καὶ τῶν τοιούτων συνέγραψε· Clinomachus Thurius primus de enuntiationibus & categorematis & ſimilibus ſcripſit. *Enuntiatio*] Secunda diviſio enuntiationis ſumitur ex adjunctis qualitatibus, affirmatione & negatione: Enũ-

tiatio igitur affirmata dicitur, cujus principale vinculũ affirmatur: ut, Socrates eſt philoſophus: verbum, eſt, appellatur vinculum, quod affirmatum affirmat enuntiationem: Item, Si dies eſt, nox non eſt: Conjunctio, ſi, dicitur vinculum enuntiationis, quod affirmatum affirmat enuntiationem: Negata autem enuntiatio á negato vinculo nomen habet: ut, Socrates non eſt philoſophus: Non ſi dies eſt, nox non eſt: utrunque enuntiatum negatum eſt, quia principale vinculum negatur: illic verbum, eſt, hic conjunctio, ſi. Nec ſatis eſt, ut Boëtius deceptus exiſtimavit, partem enuntiati compoſiti conſequentem negari, ut totum negetur: ſed oportet toti enuntiato negationem præponi, ut vinculum, quod ſententiam conjungit, negatione afficiatur. Atque hæc diviſio iccirco præcedit, quia magis eſt communis, & lucem aliquam proximæ diviſioni eſt allatura. Menedemus, auditor Platonis & Stilponis negationes é Logica tollebat, de quo ita ſcribit Laërtius libro ſecundo: Ἀνήρει δέ φασι, καὶ τὰ ἀποφατικὰ τῶν ἀξιωμάτων, καταφατικὰ τιθεὶς, καὶ τούτων τὰ ἁπλᾶ προσδεχόμενος, τὰ δὲ οὐκ ἁπλᾶ ἀνήρει, λέγων σωημμένα καὶ συμπεπλεγμένα. Negãtia axiomata tollebat, affirmantia conſtituens: atque ex his ſimplicia amplectebatur, compoſita tollebat, ea & complexa & conjuncta dicens: ſed temeré tollebat, cúm magnus uſus negationum ſit in omni judicii genere, id eſt enuntiato, ſyllogiſmo, methodo. *Enuntiatio*] Tertia diviſio eſt generis in duas ſpecies, enuntiationem ſimplicem & compoſitam: quæ quarto capite libri primi de Interpretatione, vocãtur ἀπόφανσις ἁπλῆ ἢ συγκειμένη, enuntiatio ſimplex aut compoſita: ut, τούτων δὲ ἡ μὲν ἁπλῆ ἔστιν ἀπόφανσις οἷον τι κατά τινος, ἢ τὶ ἀπό τινος. ἡ δὲ ἐκ τούτων συγκειμένη, οἷον λόγος τις ἤδη σύνθετος. Harum alia quidem ſimplex eſt enuntiatio, ut quæ affirmat aliquid de aliquo, aut aliquid removet ab aliquo: alia ex his compoſita, ut oratio jam ex his conſtans. *Simplex*] Enuntiatio ſimplex definitur á ſimplici ſententia, cúm ſimplicem & unicam ſentẽtiam enuntiat, & non multas: ut Socra-

tes

tes eſt philoſophus, unica eſt ſententia perfecta & abſoluta, quæ hic enuntiatur: quam ſolam Ariſtoteles in libro de Interpretatione & in prioribus Analyticis arte & præceptis expoſuit: compoſitam tantúm generali definitione attigit, ſpecies ejus non docuit. Porró ſimplex enuntiatio, quæ etiam dicitur πρώτη ἀπόφανσις, prima enuntiatio, trifariam diſtinguitur: primúm ex partibus: deinde ex adjunctis qualitatibus, affirmatione & negatione: poſtremó item duobus aliis adjunctis, ut communione & proprietate. Partes ſimplicis enuntiationis, ab Ariſtotele vocantur ὅροι, termini, vocabulo ſumpto á Mathematicis, qui in comparationibus nominant ὅρους, terminos, antecedentes videlicet, & conſequentes, ut multis locis Euclides: qua ſimilitudine Ariſtoteles videtur primo capite primi Analytici definire ὅρον, εἰς ὃν διαλύεται πρότασις· in quem reſolvitur propoſitio: ὅιον τό, τε κατηγορούμενον, καὶ τὸ καθ' οὗ κατηγορεῖται, ἢ προστιθεμένη ἢ διαιρουμένη, τὸ εἶναι, ἢ μὴ εἶναι· ut attributum, & id, cui attribuitur, ſive addatur, ſive tollatur, eſſe aut non eſſe. Prima igitur diſtributio enuntiationis ſimplicis ſumitur ex cauſſis eſſentiam rei conſtituentibus: ut, exempli gratia, hæc enuntiatio, Virtus eſt laudabilis, conſtat ex duabus partibus, quarum una antecedit, virtus, & appellatur aliás ὅρος ὑποκείμενος, terminus ſubjectus, aliás ἔσχατον πρῶτον, extremum minus: altera conſequitur, ut hoc totum, eſt laudabilis, & dicitur ὅρος κατηγορούμενος, terminus attributus, vel κατηγόρημα, attributum, vel ἔσχατον μεῖζον, extremũ majus. *Hæc prima*] Diximus initió dialecticam diſpoſitionem eſſe rationum inventarum aptam collocationem: id primúm in Enuntiatis declaratur, ut in hoc exemplo: Ignis urit: Ignis cauſſa eſt, & Urere, effectum ignis: Ignis eſt calidus, Ignis ſubjectum eſt, Calidus, adjunctum ignis: Ignis non eſt aqua: Hic diſponitur oppoſitum cum oppoſito: In hoc autem exemplo, Si ignis urit, ignis eſt calidus: pars antecedens ut effectum, pars conſequens ut cauſſa conſideratur: Itaque enuntiatio, diſpoſitio eſt, qua enun-

tiatur aliquid de aliquo,id eſt ratio de ratione:Enuntiatio autem hoc ſolum ſibi proponit, ut enuntiet aliquid de aliquo. *Vinculum*] Hic ſi quis afferat Ariſtotelis enuntiata illa modificata, Hominem currere eſt poſſibile:Hominem animal eſſe eſt neceſſe:in quibus philoſophus ait negationem é modo non é verbo ſumi,afferet Ariſtotelis errorem:nec enim ſolus modus affirmatus aut negatus affirmat aut negat enuntiatum,ſed verbum cum modo affirmatum & negatum, alioqui contradictionis partes ſimul eſſent falſæ:ut *Socrates eſt leo* neceſſarió:*Socrates eſt leo non* neceſſarió. Vide 6. Animadverſ. Ariſtotelic. Secunda diſtinctio enuntiati ſimplicis fit ex affirmatione & negatione: Affirmatio autē & negatio in hoc genere, intelliguntur ex principali verbo affirmato aut negato:ut, Socrates eſt philoſophus, enuntiatio dicitur affirmata, quia verbum, eſt, principale vinculum orationis affirmatur: &, Socrates non eſt philoſophus,enuntiatio dicitur negata,quia idē verbum negatur. Atque ut in naturis formæ, ſic in enūtiatis ſimplicibus, verba ipſa principes cauſſæ ſunt, & tanquam vincula cæterarum partium. *Enuntiatio ſimplex*] Tertia diſtinctio ſumitur ex ratione ſubjecti, quod ſi nomen fuerit commune, &,ut Grammatici loquuntur, appellativæ qualitatis, facit enuntiationem communem:ut, Philoſophus eſt ſtudioſus ſapientiæ: ſin autem propriū, facit proprium: ut, Socrates eſt ſtudioſus ſapientiæ. Communis autem enuntiatio duplex eſt, ἢ καθ' ὅλου, ὡς καθ' ὅλου, ἢ καθ' ὅλου μέν, μὴ ὡς καθ' ὅλου · univerſalis ut univerſaliter, aut univerſalis quidem, non tamē ut univerſaliter, ut ait Ariſtoteles capite quinto libri primi de Interpretatione: Item ἢ καθ' ὅλου ἢ οὐ μέρει · aut univerſalis aut particularis, capite primo primi libri Analyticorum priorum. Latinē igitur dicantur generalis & ſpecialis:Generalis generaliter & univerſē enuntiatur, ſignificaturque his nominibus, omnis, quilibet, totus, univerſus, ſolus, quiſque, unuſquiſque, nullus, nemo, nuſquam, nunquam, & ſimilibus præterea notis:ut,

Omnis

Omnis virtus eſt expetenda: Nulla virtus eſt expetenda. Interdum nulla nota exprimitur, & nihilominús tamen ſententia univerſé concipienda eſt: ut, Virtus eſt expetenda: perinde eſt, ac ſi dixeris, omnem virtutem eſſe expetendam: quomodo præcepta in artibus intelliguntur, quæ catholica & generalia ſunt, licet his particulæ generales plerunque non adhibentur: ut, Dialectica, eſt virtus bene diſſerendi: tantúm valet atque hoc, Omnis Dialectica, eſt virtus bene diſſerendi. Specialis enuntiatio non univerſé, ſed ſpecialiter enuntiatur: & certis notis exprimi ſolet, cujuſmodi ſunt, aliquis, quidam, aliquando, nonnullus, non omnis, &c. ut, Aliqua virtus eſt expetenda: Non omnis philoſophus eſt liber. Hæc itaque genera duo ſunt enuntiationis communis, unum generale, alterum ſpeciale. Enuntiatio ſimplex & propria nominantur á parte, ut dixi, ſubjecta ſive antecedente, quæ ſit nomen proprium & ſingulare: ut, Socrates eſt philoſophus, Socrates, nomen proprium unius perſonæ, propriam facit enuntiationem. Hactenus itaque doctrina enuntiationis ſimplicis, tripartita varietate diſtributionis breviter expoſita fuit, quæ licet plus habeat naturæ ad judicandum, quám artis (nam ſimplicem enuntiationem judicamus veram aut falſam naturali lumine mentis potiús, quám ulla artis regula) apprimé tamen utilis erit & ad cognoſcendam vim cõtradictionis, & ad intelligentiam ſyllogiſmorum ſimplicium, quorum genera poſtea deſcribentur, & ex partibus, & ex adjunctis enuntiationum ſimplicium.

ENUNTIATIO COMPOSITA.

Enuntiatio compoſita, eſt quæ multas ſententias habet conjunctas: cujus vinculum non jam verbum eſt, ſed conjunctio, ideoque ex ea affirmata ſumetur affirmatio, é negata, negatio. Enuntiatio compoſita, eſt copulata, relata, con-

nexa, diſjuncta. Enuntiatio copulata, eſt enuntiatio compoſita, cujus vinculum eſt conjunctio,&:ut, Homo eſt ſapiens & probus: Negatio igitur erit, Homo non eſt ſapiens & probus: quæ non eſt conjunctarum partium negatio, ſed conjunctionis: tanquam diceretur, Homo non eſt ſimul ſapiens & probus. Itaque vetum totius copulatæ judicium, pendet ex omnium partium veritate. Enuntiatio relata, eſt enuntiatio compoſita, cujus vinculum, eſt relationis ſymbolum. Itaque ejus affirmatio negatioque ex eo eſt, & verum relatæ judicium relationem veram habet: ut, Homo tam dives eſt quám vult: Homo non tam dives eſt quám vult: relatio in hoc exemplo, eſt qualitatis: poteſt eſſe etiam eſſentiæ, ut in his notis, is, qui: item quantitatis, ut tantúm, quantúm: tum loci, ut ubi, ibi: denique temporis, tum, cúm. Enuntiatio connexa, eſt enuntiatio compoſita, cujus vinculum eſt cõjunctio, ſi:ut, Si homo eſt doctus, eſt juſtus: ideoque ut enuntiatio negetur, vinculum hoc negãdum eſt: Non ſi homo doctus eſt, etiam eſt juſtus: Affirmatio ſignificat, ſi ſit antecedens, etiã conſequens futurum: negatio igitur ſignificat, ſi ſit antecedens, non propterea conſequens futurum: Denique hanc conditionem & conſecutionem non eſſe neceſſariam. Quare cúm connexã judicabis abſolutè veram eſſe, neceſſariam quoque judicabis, & intelliges hanc neceſſitatem é neceſſaria partium conditione oriri, non autem

ex

ex earũ veritate neceſſaria: Poſſunt enim omnes ſimul eſſe falſæ, ut tota conditio neceſſaria ſit: ut, Si homo eſt immortalis, homo nunquã moritur: pars antecedens, homo eſt immortalis, eſt falſa: pars cõſequens, homo nunquã moritur, eſt etiã falſa: attamen cõditio harũ falſarum partium nõ ſolúm vera, ſed etiam neceſſaria eſt: at ſi conditio ſit contingens, & pro ſua tantúm probabilitate ponatur, judicium ejus tantúm opinio fuerit.

Enuntiatio diſjunctà, eſt enuntiatio cõpoſita, cujus vinculũ eſt cõjunctio Aut: ut, Aut dies eſt, aut nox eſt, quo ſignificatur alterutrũ verũ eſſe, non utrunq;. Negatio igitur erit, Nõ aut dies eſt, aut nox eſt: quo ſignificatur non neceſſarió alterutrum verũ eſſe: nã ſi diſjũctio abſoluté vera eſt, eſt etiã neceſſaria, parteſque diſjũctæ, ſunt oppoſitæ ſine medio. Veruntamen, quanvis abſoluté vera diſjunctio, neceſſaria ſit: attamẽ nihil neceſſe eſt partes ſeparatim neceſſarias eſſe: ut, Homo eſt bonus, vel non eſt bonus, diſjunctio neceſſaria eſt: & tamẽ Homo eſt bonus nõ eſt enuntiatio neceſſaria: Homo non eſt bonus, non eſt enũtiatio neceſſaria: ſed diſjunctionis neceſſitas pẽdet é neceſſaria partiũ oppoſitione & diſjunctione, nõ ex earũ neceſſaria veritate. Quæ res malé percepta decepit non ſolum Epicurũ, qui in hac arte tardus & plumbeus habitus eſt, ſed etiam eos, qui valentes Logici ſibi viderentur, ut Diodorum & Chryſippum: quia credebat, ſi diſjunctio neceſſaria eſſet, alterutram partem non ſo-

lúm veram, ſed neceſſariam eſſe: in quem errorẽ poſt eos Cicero lapſus eſt in libro de Fato.

Diſjunctionis partes, ſunt enuntiationes ſimplices aut compoſitæ, é quibus propterea diſjunctio ſimplex aut compoſita dicetur. Simplex igitur, erit communis aut propria: communis, generalis aut ſpecialis. Generalis diſjunctio eſt, ubi pars utraque generalis eſt: neque hic, diſjunctio eſt abſoluté vera, niſi pars altera ſit neceſſaria: ut, Omnis leo eſt beſtia: vel, omnis leo eſt homo: Secús partes ſimul eſſe falſæ poſſunt: ut, Omnis homo eſt juſtus, aut nullus homo eſt juſtus, & in cæteris contingentibus, imó etiam non contingentibus: ut, Omne animal eſt rationale, aut nullum animal eſt rationale. Diſjũctio ſpecialis eſt, quando partium altera generalis eſt, altera ſpecialis, & vera eſt abſoluté in oppoſitis medio carentibus: ut, Omnis homo eſt ſanus, vel aliquis homo eſt æger: Omnis homo videt, aut aliquis homo cœcus eſt. Omnis homo ſapit, vel aliquis homo non ſapit. Diſjunctio propria eſt, quando partes ſunt enuntiationes propriæ: ut, Plato eſt philoſophus, aut non eſt philoſophus.

Diſjunctio compoſita eſt, quando partes ſunt enuntiationes compoſitæ: & tamen affirmatione & negatione, id eſt contradictione efficitur: ut, Homo eſt ſapiens & bonus: vel, Homo non eſt ſapiens & bonus. Homo tam dives eſt, quám vult: vel, Homo non tam dives eſt, quám vult. Si homo eſt doctus, eſt etiam juſtus: vel, Non ſi homo

homo eſt doctus, eſt etiam juſtus: Dies eſt, aut nox eſt: vel, Non dies eſt, aut nox eſt. Videmus in his exemplis oppoſita medio carentia: ſecús diſjunctio non erit vera, niſi forte ex hypotheſi: Sic, ſi ſtatuamus Socratem ſolum venturum, aut Cleonem ſolum, non utrunque ſimul, tum quæri poſſit, Venitne Cleon an Socrates? Itaque diſjunctio omnis abſoluté vera, eſt etiam neceſſaria, quanvis hæc veritas non ſit nobis perpetuó certa, ut in contingentibus, & præcipuè futuris. Quare Pittacus, unus é ſeptem ſapientibus, interrogantibus quid eſſet obſcurum, Futurorum eventus, reſpondit. Eadem ratione Martialis Priſcum libro duodecimo cavillatur:

Sæpe rogare ſoles, qualis ſim Priſce, futurus,
Si fiam locuples, ſimque repentè potens:
Quenquam poſſe putas, mores narrare futuros?
Dic mihi, ſi fias tu leo, qualis eris?

Quare veritas rerum, in futuro contingentiũ non eſt nobis valdé manifeſta, nec per naturam admodum eſſe poſſit, quanvis tamen Deo certa ſit, cui omnia & præterita & futura, præſentia ſunt: Nec tamen quia Deus rem futuram prævideritt, iccirco eveniet, ſed quia evẽtura eſt, prævidit: ut, Te video currentem, quia curris: at non ideó curris, quia video: Ac divina notio, eſt tanquam temporum omnium quædam viſio. Sed de diſjunctione ſatis, quæ contradictionis principium (eſt vel non eſt) á veteribus philoſophis tantopere agitatum comprehendit.

Enuntiatio compoſita] Expoſita enuntiatione ſimplici, deinceps de compoſita dicẽdum: quæ definitur ex multis conjunctis ſententiis, quia nihil aliud eſt, quám duæ aut plures enuntiationes ſimplices, in unum corpus quaſi coagmentatæ, & uno communi vinculo colligatæ: ut, Si dies eſt, lux eſt: hæc enuntiatio ex duabus ſimplicibus conſtat, quæ commune habent vinculum, videlicet, ſi: Atque ut enũtiationis ſimplicis partes, docuimus eſſe ſimplices quaſdam rationes, ex quibus enuntiatio ipſa conſtaret, ſic enuntiationis compoſitæ partes, intelligamus eſſe enuntiationes ſimplices inter ſe devinctas, & certa ratione cohærentes, quæ anteceſſionis ſimul & conſecutionis ordine diſtinguuntur: ut, Si dies eſt, lux eſt: illud, dies eſt, antecedit: hoc, lux eſt, conſequitur: non ſecús atque in ſimplici enuntiato partes ſimplices antecedere & conſequi diximus. Prima igitur diſtributio enuntiationis compoſitæ ex partibus integrantibus notanda eſt: ſecunda ex adjunctis, affirmatione & negatione, quæ ſumuntur ex principali vinculo affirmato aut negato: nec tamẽ ut in enuntiatis ſimplicibus, ſic in compoſitis, verba ipſa, vincula fuerint, ſed interdum nomina aut pronomina, ut tantus, quantus, is, qui: interdum adverbia, ut ubi, ibi: ſæpe particulæ, quæ appellantur á Grammaticis conjunctiones, ut &, aut, ſi, &c. á quibus enuntiationes compoſitæ, dicuntur affirmatæ vel negatæ: ut, Si dies eſt, lux eſt: affirmatio dicitur, quia vinculum, ſi, eſt affirmatum. Non ſi dies eſt, lux eſt, negatio dicitur, quia vinculum, ſi, negatur: Cúm veró ita dicis, Si dies non eſt, lux non eſt, nõ quia in ſingulis partibus negationes ſunt, iccirco enuntiatio fuerit negáta, quia principale vinculum non negatur. Menedemus porró compoſitas enuntiationes rejiciebat, qui locus é Laërtio citatus eſt. Ariſtoteles libro primo de Interpretatione tantúm monuit ex enuntiationibus ſimplicibus, interdum fieri enuntiationem compoſitam: Theophraſtus & Eudemus Ariſtotelis diſcipuli, genera quædam enuntiationis compoſitæ notarunt:

runt:& poſtea Stoici in ea quoque parte elaborarunt,ut author eſt Boëtius in libello de ſyllogiſmis hypotheticis, & Laërtius in recenſendis libris Chryſippi. Tertio igitur loco, dividitur enuntiatio compoſita in quatuor ſpecies,copulatam, relatam, connexam, diſjunctam: quæ ex ſuis vinculis nominantur, & inter ſe diſtinguũtur. *Enuntiatio copulata*] Copulata enuntiatio nomen habet á conjunctione,ut Grammatici dicunt, copulativa,cúm partes ejus conjunguntur conjunctionibus, &, ac,atque, & ſimilibus: cujus affirmatio & negatio ex vinculo affirmato & negato ſumuntur,ut antea de omnibus compoſitis enuntiatis, communiter dictum eſt: Contradicunt igitur,exempli gratia,hoc modo: Et dies eſt,& lux eſt: Non & dies eſt,& lux eſt: quæ affirmatio negationi opponitur. Non autem hoc modo:Et dies eſt, & lux eſt:Et dies non eſt,& lux non eſt: quia poſterior enuntiatio, non eſt negatio prioris affirmationis: Imó veró negatio nullo modo dici poteſt, quia principale vinculum non negatur. *Itaque*] Criticum ἀξίωμα eſt copulatæ enuntiationis, quæ tum vera judicatur, cúm partes veræ ſunt:ut,Et Deus eſt,& cœlum movetur: falſa autem cúm partes omnes falſæ ſunt,aut aliqua harũ: ut,Et deus eſt,& piſces loquuntur: falſum eſt enuntiatum,quia pars ejus cõſequens eſt falſa. *Enuntiatio relata*] Enuntiatio relata dicitur á notis relationis,quæ, ut antea demonſtratum eſt,aliás ſunt nomina, ut qualis, talis:aliás pronomina,ut is,qui:aliás adverbia,ut eó,quó, tum,cúm,tandiu,quandiu:quæ quidem notæ, quoniam præcipuum jus affirmationis & negationis obtinent, contradictionem etiam indicant:ut, Quales in Repub. principes ſunt,tales ſolent exiſtere cives:hæc affirmatio eſt,quia vincula relationis affirmantur:& huic negationi contradicit,Non quales in Repub. principes ſunt,tales ſolent exiſtere cives: quod enim illic conjunctim affirmatum erat, hic conjunctim negatur. Sin autem ita dixeris,Quales in Repub. principes non ſunt, tales non ſolent exiſtere cives:negatio non erit, quia vincu-

la negationis non negantur, licet partes ſigillatim negentur. Ut in copulatis, ſic in relatis enuntiationibus veritas æſtimatur ex partibus veris: quæ ſi neceſſaria veritate inter ſe cohæreant, ſcientiam efficiunt: ut, Quémadmodum ſe habet binarius ad quaternarium, ſic quaternarius ad octonarium: enuntiatio eſt certæ & conſtantis ſcientiæ: ſin probabiles, opinio tantúm gignetur: ut, Qualis eſt pater, talis eſt filius: enuntiatio tantúm eſt opinabilis & inconſtans: Quód ſi partes in relatione vel omnes falſæ ſunt, vel etiam aliquot, falſa erit tota relatio: ut Quemadmodum homines ſentiunt, ſic etiam ſtirpes: falſa eſt relatio, quia pars conſequens falſa eſt. *Enuntiatio connexa*] Hoc enuntiatum ab Ariſtotelis interpretibus dicitur *συνημμένον*, á Cicerone cõnexum, in ſcholis paſſim hypotheticũ & conditionale, á conjunctione conditionali, ut Grammatici loquuntur: in qua ſpectatur vis affirmationis & negationis, atque iccirco ratio certa contradictionis: ut hæc enuntiatio, Si dies eſt, lux eſt, affirmatur, quia vinculum affirmaté poſitum eſt: & contradicit huic, Non ſi dies eſt, lux eſt, ubi vinculum, ſi, negatur: Affirmatio ſignificat antecedente poſito, conſequens etiam futurum: negatio affirmationem deſtruit, & ſignificat antecedente poſito, nõ propterea futurum eſſe conſequens. Itaque Niſi, vel Ni non negat conditionalem Si, ſed negatio toti orationi præponitur: Non enim ſi menſis nullus erat, ſæcula non erant: Non enim, ſi eſt faciliús, eo de numero quoq; eſt excerpendũ. Nõ ſi cauſſa juſta eſt &c. Ideo vobis quoq; &c. Nõ continuó, ſi me in ſicariorũ gregem cõtuli, ſum ſicarius. Negatio conditionis eſt. Nec ſi omne &c. ſequitur illico. Sic Quintilianus, Nec protinus nõ eſt materia Rhetorices, ſi in eadé verſatur & alius. In quibus negatis exemplis ad conſecutionis negationẽ, pro Ideó, ponuntur Continuó, Illicó, Protinus. *Quare*] Catholica regula deſcribitur de duplici judicio connexæ enuntiationis, uno ſcientiæ, altero opinionis: Si connexio abſoluté vera ſit, judicium, erit ſcientia: id eſt connexio neceſſaria

neceſſaria & certa judicabitur. Connexionis autem neceſſitas, non pendet ex partium neceſſaria veritate, ſed ex neceſſaria conditione partium: Hoc enim verbum, ſi, non ſignificat partes eſſe veras, quæ junguntur, ſed ſententiam conſequentem, antecedenti eſſe aliqua conditione connexam. Itaque poſſunt omnes partes eſſe falſæ, ut tamen earum conſecutio neceſſaria ſit: ut, Si homo eſt lapis, homo non eſt animal: utraque pars eſt falſa, homo eſt lapis, & homo non eſt animal: & tamen conditio vera & neceſſaria judicatur: quale judicium eſt ſcientiæ. At ſi conditio tantúm probabilis fuerit, & non neceſſaria, enuntiatio tantúm probabilis judicabitur, & ejus judicium, erit opinio, non ſcientia: ut, Si homo febricitat, ſtatim morietur, conditio duntaxat probabilis eſt, quia antecedente poſito, conſequens accidere & non accidere poteſt. Itaque opinionem tantummodó gignit, non ſcientiam. *Enuntiatio diſjuncta*] Diſjuncta enuntiatio definitur á vinculo diſjunctionem ſignificante ut, aut, ve, vel, & ſimilibus: & diſtinguitur ſimiliter in affirmationem & negationẽ ex ratione vinculi affirmati aut negati. Affirmatio igitur ſignificat de duabus propoſitis partibus, alterutram veram eſſe, non utranque: ut, Aut dies eſt, aut nox eſt: negatio ſignificat nihil eſſe neceſſe, cur alterutra vera ſit. *Nam ſi*] Hic traditur regula prima judicandi de enuntiato diſjuncto, adhibita hujuſmodi diſtinctione: Diſjunctum verũ duobus modis intelligitur, abſoluté aut ex ſuppoſitione: abſoluté verum ex duabus circunſtantiis cognoſcitur, ſi neceſſarium ſit, & ex oppoſitis medio carentibus efficiatur: ut, Aut dies eſt, aut nox eſt: diſjunctio eſt neceſſaria, & fit ex privantibus, in quibus nihil eſt intermedium. Verum autem ex hypotheſi non eſt ſimpliciter neceſſarium, nec utitur talibus oppoſitis; ut, Aut Cluentius judicium corrupit, aut Oppianicus: Hoc nec per ſe neceſſarium eſt, nec res oppoſitas diſjungit, ſed tantúm ex hypotheſi proponitur & enunciatur. Itaque Ariſtoteles capite quinto libri decimi Philoſophiæ ait, πότερον

ἄνθρωπος, ἢ λευκὸν, ὃ λέγομεν, ἐὰν μὴ ἐξ ὑποθέσεως: utrum homo sit, an album, non dicimus, nisi ex suppositione: ut si pactum & constitutum esset, Cleonem aut Socratem solum, non etiam utrunque simul venturum, tum quæras, Utrúm venit Cleon an Socrates? At id absolutè oppositum non sit, nec in omni genere necessarium, sed ἐξ ὑποθέσεως pro oppositis acceptum: εἰ γὰρ ἅμα ἐνδέχετο, γελοῖον τὸ ἐρώτημα· nam si simul acciderent, ridicula esset interrogatio. Quamobrem cúm de disjunctione absoluté vera judicamus, scientia est: cúm de disjunctione ex hypothesi, opinio tantúm, non etiam scientia.

Veruntamen] Appendix ad proximam definitionem ex dissimilibus: Necessitas disjunctionis non accipitur ex necessaria partium veritate, sed ex necessaria partium oppositione: ut exemplum docet, Homo est bonus aut non est bonus: hæc disjunctio est necessaria, quia fit ex duabus partibus sic inter se oppositis, ut necesse sit alterutram esse veram: medio siquidem carent: neutra tamen harum partium necessaria est, sed ambæ versantur in materia contingenti, quæ accidere & non accidere potest. *Quæres*] Illustratio é philosophis, qui ex logica ignoratione disjunctionis, fœdé ac turpiter lapsi sunt: Epicurus (quem Stoici in Dialecticis tardum & rudem & hebetem dicere solent) cúm omnem efficientiam fortuitis caussis attribueret, disjunctionem ex contrariis veram esse negabat, cum ita effaremur, Hermachus cras aut vivet aut non vivet: Si enim, inquit, alterutrum concessero necessarium esse, necesse erit cras Hermachum vivere aut non vivere: nulla est autem in rerum natura talis necessitas: Lege Ciceronem in Lucullo. Diodorus Stoicus cúm omnia vera necessaria: omnia falsa, impossibilia esse diceret, qualis esset necessitas disjunctionis, & unde sumenda esset, ignoravit. Chrysippus item deceptus est, cúm sic ageret: Necesse est omnem enuntiationem veram esse aut falsam: ergo in contradictione rerum enuntiatarum, pars altera necessariò vera, pars altera necessariò falsa erit. Cicero horum

rum philoſophorum ſententias diſceptans, ad ſcopulos logicæ diſjunctionis vehementer etiam impingit, exiſtimans ſi diſjunctio neceſſaria ſit, partem ejus alteram veram, eſſe neceſſariam, partem alteram, falſam, eſſe impoſſibilem. Itaque non minús peccat, quám hi, quos ipſe coarguit. Cúm igitur ita pronuntiamus, Socrates aut philoſophus eſt, aut non eſt, diſjunctio eſt neceſſaria: neutra tamen harum partium eſt neceſſaria, ſed utraque contingens & mutabilis: unde hoc axioma tenendum eſt & concludendum, diſjunctionem appellari veram & neceſſariam, non ex partium veritate & neceſſitate, ſed ex neceſſaria partium oppoſitione, cúm ita opponuntur, ut verum & falſum diſtinguant.

Diſjunctionis partes] Hactenus explicata eſt definitio diſjunctæ enuntiationis, ſequitur diviſio in duas ſpecies, ſimplicem, & compoſitam: Simplex, componitur é ſimplicibus enuntiationibus: Itaque genera ſimplicis diſjunctionis, generibus ſimplicium enuntiatorum paria ſunt: ut diſjunctio ſimplex, alia ſit communis, quæ conſtat ex enuntiatis communibus: ut, Omnis homo vivit, aut nullus homo vivit: alia propria, ex propriis cõſtans: ut, Socrates vivit, aut non vivit. Rurſus communis, duplex eſt, una generalis, altera ſpecialis. Hanc diviſionem Ariſtoteles primo libro de Interpretatione, contradicentibus præcipué attribuit, ſed omnium oppoſitorum, quæ medio carent, communis eſt. Generalis diſjunctio definitur, quæ fit ex enuntiatis generatim propoſitis, eaque tum vera & neceſſaria in oppoſitis judicatur, cúm pars altera neceſſaria fuerit: ut in adverſis:

Omnis homo eſt rationalis: vel,
Omnis homo eſt irrationalis:

Diſjunctio vera eſt & neceſſaria, quia pars ejus antecedens vera eſt & neceſſaria. In contradicentibus:

Omnis homo ſentit: vel,
Nullus homo ſentit:

Diſjunctio item eſt neceſſarió vera, quia partem antecedentem habet neceſſariam: Secús partes ſimul eſſe

falsæ possunt, & tum disjunctio fallax & incõstans fuerit: Ut in adversis:

Omnis homo est sanus: vel,
Omnis homo est æger:

Ambæ partes sunt falsæ, atque ideo falsa disjunctio. In privantibus:

Omnis homo est oculatus: aut,
Omnis homo est cœcus:

Utrunque membrum disjunctionis falsum. Item in contradicentibus:

Omnis homo est justus: vel,
Nullus homo est justus:

Quia partes simul falsæ sunt, disjunctum etiam enũtiatum falsum erit. Neque solúm id accidit in enuntiatis contingentibus, sed etiam in non contingentibus: ut,

Omne animal est rationale: aut,
Nullum animal est rationale:

Utrunque enuntiatum est impossibile, quare disjunctio falsa & impossibilis: quam speciem disjunctionis & oppositionis Aristoteles vocat ἐναντιότητα, contrarietatem enuntiationum. Eadem etiam falsitas apparebit in attributis finitis & infinitis: ut.

Omnis homo est justus: aut,
Omnis homo est non justus:

Utrunque falsum esse potest. *Disjunctio specialis*] Specialis disjunctio definitur, cujus pars altera est generalis, altera specialis: ut, Omnia peccata sunt æqualia, aut aliqua peccata non sunt æqualia: pars antecedens, est enuntiatio generalis, & cõsequens, specialis est. Hæc in oppositis mediũ habẽtibus certa & necessaria nõ est: ut,

Omnis pannus est albus: aut,
Aliquis pannus est niger.

Potest utraque pars simul esse falsa: At verò in oppositis medio carentibus, semper necessaria disjunctio judicanda est. In adversis: ut,

Omnis homo est sanus: aut,
Aliquis homo est æger:

Disjunctio

Disjunctio absoluté vera & necessaria ex adversis immediatis, quæ sunt, sanum & ægrum. In privatibus: ut,

Omnis homo videt: vel,
Aliquis homo cæcus est.

In contradicentibus: ut, *Omnis homo sapit:* vel,
Aliquis homo non sapit.

In hujusmodi disjunctionibus catholicum veritatis & necessitatis judicium ineſt sine ulla exceptione. *Disjunctio propria*] Disjunctio propria, si non est in oppositis, falsa est: ut, *Socrates vivit aut ridet:* inconstans est disjunctio: Item in oppositis mediatis nec vera nec necessaria est: ut,

Socrates est albus: vel,
Socrates est niger.

At in oppositis medio carentibus, absoluté vera & necessaria existit sine ulla exceptione. In adversis: ut,

Socrates est sanus: vel,
Socrates est æger.

In privantibus: ut, *Socrates est vivus aut mortuus:*

In contradicentibus: ut, *Socrates vivit aut non vivit.*

Cúm autem in disjunctione speciali aut propria opponuntur affirmatio & negatio ejusdem de eodem, talis oppositio vocatur ab Aristotele ἀντίφασις, contradictio, libro primo de Interpretatione. *Disjunctio cõposita*] Secunda disjunctionis species composita nominatur á partibus, id est enuntiationibus compositis, ut copulatis, relatis, connexis, disjunctis: quæ cúm per ἀντίφασιν, id est per affirmationem & negationem opponuntur, verum semper á falso dividunt: qua de causſa in his absoluté vera & necessaria disjunctio semper erit: qualis est hæc ἀντίφασις copulata:

Socrates & sapit & vivit: aut,
Non Socrates & sapit & vivit.

Item relata: *Qualis rex, tales ſubditi:* aut,
Non qualis rex, tales ſubditi.

Item connexa: *Si Socrates eſt philoſophus, Socrates eſt non bonus:* aut,
Non ſi Socrates philoſophus, idem quoque vir bonus.

Item diſjuncta: *Dies eſt, vel nox eſt:* aut,
Non dies eſt, vel nox eſt.

Compoſita diſjunctio, quæ non fit ex oppoſitis immediatis, ut ſunt affirmatio & negatio, non eſt neceſſaria per ſe, ſed tantúm ex hypotheſi: ut ſi ſtatuas te craſtino die in forum tantúm eſſe profecturum, aut in templum ſolúm, tum neceſſarium erit diſjunctum, Cras in forum ibis, aut in templum: non tamen neceſſarium ſimpliciter, ſed ex hypotheſi: Lege Ariſtotelem capite quinto libri decimi Philoſophiæ. *Itaque*] Concluditur catholicum axioma, quód omnis diſjunctio ſeu ſimplex, ſeu compoſita, abſoluté vera, neceſſaria quoque ſit. Sequitur quæſtio, quo modo diſjunctionis abſolutæ pars una vera, pars altera falſa cognoſcatur. In præteritis, inquã, & præſentibus rebus ſive neceſſariis, ſive contingentibus veritas homini per naturam nota & perſpicua eſſe poteſt: ſic ut dici poſſit, hæc pars eſt vera, hæc autem falſa: ut, Omnis homo fuit rationalis aut non fuit: pars antecedens, eſt certæ & perſpicuæ veritatis. Henricus Rex Galliarum nunc vivit aut non vivit: illud priús definitè & certó nobis verum eſt: In futuris autem contingentibus, quæ ſic evenire & non evenire poſſunt, Ariſtoteles capite octavo libri ſecundi de Interpretatione videtur dicere neutram partem contradictionis jam veram aut falſam eſſe, quanvis vera aut falſa futura ſit: at nondum tamen eſſe: Tu breviús & faciliús reſpondebis, rerum futurarum & contingentium veritatem homini certã & definitam non eſſe, ut per naturam affirmare poſſit, hoc verum eſt, illud falſum: ut cúm ita loquimur, Neceſſe eſt

ſe eſt cras bellum fore aut non fore, diſjunctio eſt vera & neceſſaria, & tamen neutra pars eſt nobis perſpicué & definité vera: imó verò ne neceſſaria quidem, ſed utraque contingens, vária, & mutabilis & incerti eventus. *Quare Pittacus*] Pittaci apophthegma Laërtius refert libro primo: καὶ πρὸς τοὺς πυνθανομένους τί εὐχάριστον, χρόνος, ἔφη· ἀφανὲς, τὸ μέλλον· πιστὸν, γῆ· ἄπιστον, θάλασσα· Et interrogantibus quid eſſet maximé gratum, Tempus, ait: quid obſcurum, futurum: quid fidele, terra: quid infidum, mare. *Quare*] Concluſio eſt ex diſſimilibus: Homines veritatem rerum in futuro contingentium certó & perſpicué non tenent, ſed ſolus Deus tenet, cui præſentia ſunt omnia, & quæ inſtant, & quæ præterierunt, & quæ ventura ſunt: Nec tamen divina illa præſcientia, cauſſa eſt rei futuræ, ſed adjunctum duntaxat rem futuram præcurrens: quod quale ſit, declaratur exemplo ſimili: Quemadmodum aſpectus meus, cúm curris, non eſt cauſſa cur ipſe curras: ſic divina prænotio & præſcientia, quæ eſt omnium temporum viſio, nõ eſt cauſſa, cur res ita eveniant. *Sed de diſjunctione*] Diſjunctio firma & neceſſaria poteſt effici (ut anté diximus) ex omnibus oppoſitis immediatis, ut adverſis, privantibus, contradicentibus, quæ verum ſemper á falſo dividunt, ſed præcipué & maximé in contradicentibus elucet: qua de cauſſa dialecticum illud axioma cõtinet, ἅπαν φῆσαι ἢ ἀποφῆσαι ἀληθές· quodlibet affirmare aut negare verum: quod quemadmodum tres antiqui philoſophi, Heraclitus, Anaxagoras & Protagoras labefactare atque evertere conati fuerint, docet Ariſtoteles tertio & quarto libro Philoſophiæ: cõfutatiſque eorum ſententiis & rationibus, concludit hoc axioma eſſe omnium axiomatum primum, & principium omnium principiorum, quia circa illud errare nunquam poſſumus: Heraclito placuit utranque partem contradictionis veram eſſe, quod eſt omnium longé abſurdiſſimum: Idem enim erit & homo & lapis & arbor, ſi nihil niſi verum dici poteſt: & omnia cõfuſa perturbataque erũt:

Anaxagoras dicebat utranque partem contradictionis esse falsam: quæ opinio similem confusionem inducit: essentiam, veritatem, & distinctionē rerum tollit: Protagoræ sententia fuit, ἄνθρωπος, ἐστὶν ἁπάντων χρημάτων μέτρον· homo est omnium rerum mensura: itaque quod ei videtur, verum est: contrarium autē falsum est. At quod apparet nobis verum, plerunque id falsum est: Sensus enim & phantasia sæpissimé falluntur, ut visus, auditus, gustus, olfactus, & tactus: quare Protagoræ mensura illa fallax & inconstans fuerit. Quamobrem hoc Dialecticæ fundamentum cum Aristotele statuamus, contradictionis alteram partem esse veram, alteram falsam: & ea de caussa disjunctionem ex ejusmodi contradictione factam, nō modó absoluté veram esse, sed etiam necessariam.

PERORATIO PRIMI *judicii.*

Adhuc enuntiationis partes, species, proprietates habemus, unaque judicium ipsius, si clara nobis sit & manifesta, aut per se, aut ex aliqua præcedente notitia: per se, inquam, cúm sit immediata, id est nullum aliud præcipuum suæ veritatis argumentum habeat, sed suapte natura sit evidens & nota, sive scientifica sit, sive opinabilis. Enuntiatio immediata, scientifica, vocatur principium, ut quæ primum sit suæ sciētiæ lumen: & tribus his notis notatur, de omni, per se, universaliter primó. Enuntiatio est de omni, cúm affirmatur omnino & necessarió: Per se, cū constat é partibus inter se essentialibus: Universaliter primúm, cúm partes eædem reciprocæ sunt: ut, Homo constat é corpore & anima rationali:

tionali: Animal, eſt homo aut beſtia: Homo, natus eſt ad riſum: enuntiationes hæ ſunt omnino neceſſariæ: ſunt etiam partium inter ſe eſſentialium & reciprocarum: Prima conſtat ex integro & partibus ipſi eſſentialibus: Secunda, eſt generis in ſpecies, qubus ipſum eſt eſſentiale: Tertia, eſt ſubjecti & proprii adjuncti, quæ ſunt inter ſe quodammodo eſſentialia: propriumque adjunctum in ſuo ſubjecto ineſt per ſe, nõ alia de cauſſa: Eademque exempla partibus reciproca ſunt, & ita propria, ut ubi una conveniat, ibi quoque conveniat reliqua. Denique omnis enuntiatio hïs tribus notis, de omni, per ſe, univerſaliter primó, eſt verum artis & ſcientiæ principium, primaque ſuæ veritatis cauſſa. Principii judicium vocatur intelligentia, tanquam prima & ſumma ſcientia: attamen ut colores, qui per ſe videri, ſic principia, quæ per ſe intelligi poſſunt, aliis alia clariora ſunt. Quæ cauſſa fuit, duo genera principiorum conſtituendi, axioma & theſim. Axioma, eſt principium, quod ſimul enuntiatum & intellectum eſt: ut ex argumentorũ definitionibus, Quicquid efficitur, ab aliqua cauſſa efficitur. Æqualia eidem tertio, ſunt inter ſe æqualia: Totum majus eſt ſua parte: Totum partibus omnibus eſt æquale: item in Arithmetica, ut Bis bina ſunt quatuor: in Geometria, Quæ inter ſe cõveniunt, ſunt æqualia, & in cæteris artibus ejuſmodi intelligẽtiæ, quæ ſuapte natura claræ ſunt & evidentes, ſine doctrina, imó ſine ulla ſenſus

animadverſione vel experientia: ut eſſent oculo illuſtres & imprimis perſpicui colores in bono lumine collocati: Ideoque principium hoc, axioma dicitur, id eſt dignitas, tanquam ſupra principiorum omnium genera longé maximum & ampliſſimum. Theſis, eſt principium non protinús approbatum: ſed ſenſum & experientiam exempli cujuſdam familiaris expetit: ut bonus quidam color: at in bono lumine nequaquam poſitus. Ejuſmodi magna pars eſt artium & diſciplinarum, quæ experientia & obſervatione ſenſilium & ſingularium rerum cognitæ ſunt. Itaque principia ſi quid obſcuritatis habēt, tum Theſes appellantur, & ad eorum illuſtrationem exempla repetuntur, unde primó percepta ſunt: ideoque in omni arte Dialectica, & omnibus ejus regulis, quas ſequimur, nullam aliam declarationis rationem adhibuimus, nec impoſterúm adhibebimus, niſi exemplorum maximé inſignium & familiarium, quæ longa meditatione & naturalis uſus notatione ſeligere potuimus. Veruntamen enuntiationes neceſſarió & ſine medio veræ ejuſmodi ſunt: quæ materies eſt artis, quam in præfatione appellavimus, quia omnis artis ac ſcientiæ enuntiationes ejuſmodi eſſe debeant, & hujus primi judicii ſunt, ut ſunt etiā enuntiationes contingentes manifeſtæ. Nec veró ſolúm hic judicantur ſine medio enuntiatiónes, ſed omnino (ut dictum eſt) omnes enuntiationes antea cognitæ, & de quibus dubitatio nulla

nulla ſit. Atque ut in arte, ſic in natura judicium hoc primum eſt : quinetiã parte aliqua cum mutis animantibus commune, ut rerum ſenſilium & in enuntiatione propria : omne nãque animal habet inſitam quandam facultatem judiciariam, quam ſenſum vocant, qui etiam judicii ſpecies appellatur: Nec ideo tamẽ eſt in hoc judicio primo inferior intellectus ſenſu: nec enim ſenſus poteſt de veritate cõnexæ vel diſjunctæ enuntiationis judicare : imó veró cõmune & univerſale nihil poteſt ſentire: Itaque cúm mens univerſalo concipiat, eó præſtantiot & excellentior eſt, quã ſenſus, magiſque cauſſam & principiũ cõprehendit. At ſi enũtiatio vel neceſſaria, vel contingẽs, manifeſta non fuerit, ſed dubia & incerta, ut infinitæ contentiones hominum & lites inter ſe, in quæſtionem convertitur : tumque antecedẽs terminus minor appellatur, conſequens terminus, major: ejuſque judicium ad ſyllogiſmum attinet, de quo deinceps agendum nobis eſt.

Adhuc] Hactenus enuntiationis partes expoſitæ ſunt, antecedens & conſequens, & ſpecies duæ, ſimplex una & cõpoſita altera, & proprietates duæ, affirmatio & negatio : & quemadmodum enuntiatio vera aut falſa judicaretur in ſingulis generibus, demonſtratum eſt : hoc primum dialecticæ artis judicium tandem peroratur, ac concluditur addito ad præcedentem doctrinam corollario, ex quo diſcimus enuntiationes ſolúm manifeſtas cadere in hoc primum judicium : & duplex eatũ eſſe judicium, ſcientiam in materia certa & neceſſaria, & opinionem in materia probabili & veriſimili. Enuntiatio igitur eſt aut manifeſta aut dubia : ſi manifeſta, hujus primi judicii trutina perpenditur & æſtimatur: ſi

dubia, transit in quæstionem: & arte syllogismi, de qua mox agetur, dijudicanda est. Porró enuntiatio duobus modis clara & evidens est, aut per se, & dicitur ἄμεσος, sine medio, quód per se & nullo naturæ lumine clariore luceat: Nec interest an necessaria sit: ut hæc, Totum majus est sua parte: an probabilis & opinabilis: ut, Patres suis liberis charos esse: Aut ex aliqua notitia, quæ suapte natura clarior sit: & appellatur ἔμμεσος, medium habens, id est argumentum, quo demonstretur: Nec etiam interest an talis enuntiatio necessaria sit, an contingens: ut si quis dicat quicquid numeret, id hominem esse, argumentum enuntiationis erit, quia id sit animal rationis capax: aut si quis dicat eloquentem non mentiturum, quia sit vir bonus: Definiamus autem primúm eam, quæ est ἄμεσος καὶ ἐπιστημονικὴ, sine medio & effectrix scientiæ, quæque ab Aristotele dicitur πρώτη καὶ ἀναπόδεικτος, prima & indemonstrabilis: itemque ἀρχὴ, principium: Aristoteles capite quarto libri primi posteriorum Analyticorum, talem enuntiationem vult tribus notis esse præditam & insignitam, κατὰ παντὸς, καθ' αὑτὸ, καθ' ὅλου πρῶτον· de omni, per se, & universaliter primũ. Prima nota significat enuntiationem hujus generis esse universam & necessariam: ut, Homo est animal rationale: Secunda, enuntiationem cõstare ex rebus cognatis & homogeneis, aut absolutè: ut, Homo est animal rationale: aut quodammodo: ut, Homo est aptus ad risum: hæc enim affectio est homini congenita ac penè essentialis: Tertia, enuntiationem esse terminis reciprocam, qualis est utraque proposita: quales etiam esse debent enuntiationes artium: ut, Dialectica est virtus bene disserendi: Grammatica est virtus bene loquendi: Omnis enim Dialectica est virtus bene disserendi: & vicissim omnis virtus bene disserendi, est Dialectica.

Principii judicium] Cúm mente & animo comprehendimus veritatem primæ, necessariæ, scientificæ, & indemonstrabilis enuntiationis, Aristoteles talem cognitionem appellat νοῦν, intelligentiam, capite sexto sexti

Ethici

Ethici ad Nicomachum: ἐπιστήμη, καὶ φρόνησις ἔστι καὶ σοφία καὶ νοῦς. τούτων δὲ τῶν τριῶν μηδὲν ἐνδέχεται εἶναι· λέγω δὲ τρία, φρόνησιν, σοφίαν, ἐπιστήμην· λείπεται, νοῦν τῶν ἀρχῶν εἶναι· Scientia, eſt & prudentia & ſapientia & intelligẽtia: horum autem trium nil poteſt eſſe: Tria dico prudentiam, ſapientiam, ſcientiam: Reſtat igitur intelligentiam eſſe principiorum. In Analyticis poſterioribus generaliter γνῶσις etiam dicitur, cognitio: quam Ariſtoteles ſecundo capite libri primi poſteriorum Analyticorum vult eſſe ἀκριβεστέραν καὶ ἀληθεστέραν, certiorem & veriorem, quám cognitionem rerum ex illius principiis deductarum: ἀεὶ γὰρ δι' ὃ ὑπάρχει ἕκαστον, ἐκεῖνο μᾶλλον ὑπάρχει· Semper enim propter quod eſt unumquodque, illud magis eſt: Itaque ſi ſcimus per principia & credimus, etiã & illa ſcimus & credimus magis, quia per illa etiam poſteriora cognoſcimus: Sæpe etiam ab Ariſtotelis interpretibus vocantur principiorum προγνώσεις καὶ προλήψεις, prænotiones & anticipationes, quaſi prima artium & diſciplinarum lumina. *Attamen*] Similitudo adhibetur ſumpta á coloribus, ad conſtituẽda duo genera principiorum, axioma & theſim, de quibus Ariſtoteles capite ſecundo libri primi poſteriorum Analyticorum ita ſcribit: ἀμέσου δ' ἀρχῆς συλλογιστικῆς θέσιν μὲν λέγω, ἣν μὴ ἔστι δεῖξαι, μηδ' ἀνάγκη ἔχειν τὸν μαθησόμενόν τι. ἣν δ' ἀνάγκη ἔχειν ὁτιοῦν μαθησόμενον, ἀξίωμα· ex immediato ſyllogiſmi principio id theſim quidem dico, quod demonſtrare non licet: neque neceſſe eſt eum habere, qui quidpiam diſcet: quod verò neceſſe eſt eum habere, qui quidvis diſcet, axioma. Axioma igitur, Ariſtoteli principium eſt ſuapte natura clariſſimum & evidentiſſimum: quod ſimul atque pronuntiatum eſt, intelligitur ſine ulla doctoris admonitione, ſine ulla exemplorum inductione: quales præcipuè ſunt maximæ, quæ dicuntur vulgo, ex inventionis locis, quæ in omnes deinde artes communi luce diffunduntur. Theſis autem licet demonſtrari non poſſit, id eſt cauſſa aliqua natura priore & notiore probari, non eſt tamen

diſcipulo αὐτόπιστος, per ſe omnino probabilis: neque ἁπλῶς καὶ τῇ φύσει, abſoluté & ſuapte natura diſcenti nota: ſed interdum lucem aliquam exemplorum ſimilium aut ſpecialium exigit: Nec tamen ob id ἄμεσος, medio carens eſſe deſinit: Medium enim hoc loco interpretamur argumentum natura prius & antiquius & notius: ex quo genere exempla non ſunt. Regula igitur logicæ inventionis ſuperiore libro expoſitæ & exemplis illuſtratæ, theſes ſunt. Quamobrem ut in coloribus alii ſunt aliis clariores, ſic in principiis artium & diſciplinarum alia ſunt aliis illuſtriora, quorum intellectus judex & cognitor dicitur ἀμετάπτωτος, minimé obnoxius prolapſioni & errori. & ἀμετάπιστος καὶ ἀμετάπιστος, qui diſſuaderi & cujus fides mutari nullo modo poſſit. *Experientia*] Polus in Gorgia Platonis ait artes ab experientia profectas eſſe: ὦ κεφαλῶν, πολλαὶ τέχναι ὦν ἀνθρώποις εἰσὶν, ἐκ τῶν ἐμπειριῶν ἐμπείρως εὑρημέναι· ἐμπειρία μὲν γὰρ ποιεῖ τὸν αἰῶνα ἡμῶν πορεύεσθαι κατὰ τέχνην, ἀπειρία δὲ κατὰ τύχην. O Cephon, multæ artes hominum per experientiam prudenter inventæ ſunt: experientia ſiquidem facit, ut vita noſtra artificioſé progrediatur: inexperientia, ut temeré & ſine arte. Quam Platonis ſententiam Ariſtoteles primo capite libri primi Philoſophiæ comprobavit, ἀποβαίνει δὲ ἐπιστήμη καὶ τέχνη διὰ τῆς ἐμπειρίας τοῖς ἀνθρώποις· ἡ μὲν ἐμπειρία τέχνην ἐποίησεν, ὡς φησὶ πῶλος ὀρθῶς λέγων· ἡ δὲ ἀπειρία τύχην. Eſt verò ſcientia & ars hominibus per experientiam: experientia enim artem genuit, ut rectè ait Polus: inexperientia verò fortunam & temeritatem. Idem ſcribit Ariſtoteles capite triceſimo primo libri primi priorum Analyticorum, parētem videlicet omnium artium eſſe ἐμπειρίαν καὶ ἱστορίαν experientiam & inquiſitionem: nec ſolúm principia per experientiam & obſervationem rerum ſenſilium collecta eſſe, ſed ſi de his, quare vera ſunt, addubites, ad ἐμπειρίαν καὶ ἱστορίαν recurrēdum eſſe: quod Ariſtotelicum dogma copioſiús explicatur libri primi poſteriorum Analyticorum capite decimoquarto,

to, ubi Aristoteles docet universalia intelligi non posse, nisi inductione & exemplis rerum sensilium & singularium: Ideoque sublato sensu aliquo, universale tolli, & ex eo deductam scientiam: & capite ultimo libri secundi, ubi disputat ex sensu existere memoriam: ex memoria ejusdem rei sæpiús inducta experientiam: ab experiẽtia verò universale principium artis & scientiæ. Quãobrem, ut rem paucis concludamus, enuntiationes primæ & immediatæ & necessariæ, demonstrari quidem causſis natura notioribus & prioribus non possunt, sed si quid habeant obscuritatis & dubitationis, inductione singularium exemplorum aliquo modo explanari & illustrari possunt: & tum (ut anté dixi) appellantur ab Aristotele theses, ut sunt etiam contingentes. Enuntiatio ἄμεσος aut necessaria est, & ejus judicium appellatur præcipué νοῦς, intelligentia, ut vicesimo sexto capite libri primi posteriorum Analyticorum, quia sine arte & sine syllogismo mens, sua tantúm luce, talem enuntiationem concipit & intelligit: aut contingens & mutabilis, & ejus judicium dicitur δόξα, opinio, ut eodem loco: ὥστε λείπεται δόξαν εἶναι περὶ τὸ ἀληθὲς μὲν, ἢ τὸ ψεῦδος· ἐνδεχόμενον δὲ καὶ ἄλλως ἔχειν· τοῦτο δὲ ἔστιν ὑπόληψις τῆς ἀμέσου, καὶ μὴ ἀναγκαίας· Itaque restat opinionem esse circa verum quidem aut falsum, sed quod aliter se habere possit: id verò est opinio enuntiationis immediatæ & non necessariæ. *Atque ut in arte*] Judicium enuntiationis ut natura, sic arte primum est, quia enuntiatio, prima & simplex est collocatio, quæ rationem cum ratione disponit: ut si quis paries albus esse dicatur, hujusce rei sensus suapte natura & per se judex esse poterit: ideoque in enuntiatis propriis & sensilibus, judicium hominibus cum plerisque bestiis commune est, ut docet Aristoteles capite ultimo libri secundi de Demonstratione: φαίνεται δὲ τοῦτο ὑπάρχον πᾶσι τοῖς ζώοις· ἔχει γὰρ δύναμιν σύμφυτον κριτικὴν, ἣν καλοῦσιν αἴσθησιν· cernitur autem hoc in omnibus animalibus: habent enim ingenitam facultatem judicandi, quam sensum vocant:

Et capite ſecundo Topici ſecũdi, ſenſus dicitur eſſe ſpecies quædam judicii: τὸ γὰρ κρίνειν, γένος τῦ αἰσθάνεσθαι· ὁ γὰρ αἰσθανόμενος, κρίνει πῶς Judicare enim, genus eſt ſentiendi: nam qui ſentit, quodammodo judicat: Tale autẽ judicium appareret in his beſtijs, quæ phantaſiam & memoriam aliquam inſignem habent, ut in elephantis, equis, canibus. *Nec ideo*] Intellectus hic communiter accipitur, quo & neceſſaria & contingentia cognoſcimus: non autem anguſtẽ, quo tantúm principia artiũ intelligimus: Talis intellectus in ſolis hominibus ineſt, non etiam in cæteris animantibus; quem Ariſtoteles capite undecimo libri primi Philoſophiæ ſenſibus longé anteponit: & capite ſecundo libri primi poſteriorum Analyticorum, quia intellectus circa res univerſales verſatur, ſenſus autem res ſingulares apprehendit & dijudicat. Hoc autem uno vel maximé homines beſtijs ipſis præſtant, quód rationem habent á natura datam, mentemque & acrem & vigentem, celerrimeque multa ſimul agitantem, & (ut ita dicam) ſagacem, quæ & cauſſas rerum & conſecutiones videat, & ſimilitudines transferat, & diſjuncta conjugat, & cum præſentibus futura copulet, omnemque complectatur vitæ conſequentis ſtatum, ut ait Cicero libro ſecundo de Finibus. Atque hæc animi agitatio in percipiendis notionibus, communiter hoc loco dicitur intellectus. *At ſi*] Tranſitus fit ad ſyllogiſmum, ſecundam judicii ſpeciem: Syllogiſmus enim docet judicare de enuntiatione dubia & incerta: quæ cúm ita proponitur, fit quæſtio, & habet duas partes, nam antecedentem, quæ nominatur ὅρος ἐλάττων, terminus minor: alteram conſequentẽ, quæ dicitur ὅρος μείζων, terminus major: argumẽtum autem, quod cum his partibus in ſyllogiſmo diſponitur, ὅρος μέσος, terminus medius, & abſolutè τὸ μέσον, medium.

SYLLOGISMUS ET EJUS PARTES.

Syllogiſmus, eſt diſpoſitio, qua quæſtio cum argumento

argumento diſpoſita, neceſſarió concluditur. Atquè hoc vocabulum proprié rationem & calculum ſignificat: & á Mathematicis ad Dialecticam videtur traductum. Syllogiſmi partes ſunt, propoſitio, aſſumptio, concluſio: Propoſitio, eſt prima pars ſyllogiſmi, in qua argumentũ cum parte conſequente quæſtionis tantúm, vel cum utraque proponitur: Aſſumptio, ſecunda pars ſyllogiſmi, ubi argumentum cum altera tãtúm parte quæſtionis, é propoſitione aſſumitur: Concluſio, tertia pars eſt ſyllogiſmi, quæ partes quæſtionis colligit. Sic igitur tres ſyllogiſmi partes efficiuntur, propoſitio, aſſumptio, complexio: Ut apud Ciceronem quarto de Finibus:

Omne laudabile, eſt honeſtum:
Omne juſtum, eſt laudabile:
Omne itaque juſtum, eſt honeſtum.

Hic quæſtio erat, Omne juſtum, eſtne honeſtum? tum argumentum, laudabile, diſpoſitum primó cum, honeſtum, conſequente parte quæſtionis, fecit propoſitionem:

Omne laudabile, eſt honeſtum:

Deinde aſſumptum é propoſitione cum, juſtũ, parte antecedente quæſtionis, fecit aſſumptionẽ:

Omne juſtum, eſt laudabile:

Unde quæſtio neceſſarió concluditur:

Omne itaque juſtum, eſt honeſtum.

Verúm hæc neceſſariæ diſpoſitionis fabrica, pleniús per ſpecies intelligetur.

Syllogiſmus] Logicæ diſpoſitionis triplicem ſpeciem propoſuimus, enuntiationem, ſyllogiſmum, & metho-

dum. Expositis itaque enuntiationis legibus, quæ certas judicandi vias indicant, perspicuitas doctrinæ postulat, ut deinceps videamus, quid sit syllogismus, quot partes illius, quot item species: omniaque lumina definitionum, divisionum, & exemplorum ad illustrandam artem & intelligentiam syllogismi accendamus. Syllogismi definitio constat ex genere & aliis caussis essentialibus: Dispositio siquidem, genus est syllogismi: eó accedit propria differentia (quód quæstio cum argumento disposita, necessarió concluditur) quæ docet necessitatem conclusionis, non é cohærentia rerum, sed é collocatione legitima argumenti metiendam esse. Aristoteles primo capite libri primi priorum Analyticorũ his verbis definit: συλλογισμὸς δέ ἐστι λόγος, ἐν ᾧ τεθέντων τινῶν, ἕτερόν τι τῶν κειμένων ἐξ ἀνάγκης συμβαίνει, τὸ ταῦτα εἶναι. Quæ definitio iccirco minús aperta est, quia non satis perspicuas & idoneas syllogismi caussas continet: Nam si λόγος, dicatur oratio, syllogismi genus non est: sin autem ratio, genus est longé petitum, quod & inventionem & dispositionem universam significat: Reliquæ verò partes formalem caussam & obscuriús involvunt, neque declarant quæstionem cum argumento disponi, ut necessarió concludatur: neque etiam definitionem propriam efficiunt: Nam quibusdam positis, potest aliquid necessarió sequi, quód hæc ita sunt, neque tamen erit syllogismus: ὁ μὲν γὰρ συλλογισμὸς πᾶς, ἀναγκαῖον· τὸ δὲ ἀναγκαῖον οὐ πᾶν συλλογισμός· ὥς' οὐκ εἴ τι συμβαίνει τεθέντων τινῶν, πειρατέον ἀνάγειν εὐθύς, ἀλλὰ πρῶτον ληπτέον τὰς δύο προτάσεις· Omnis enim syllogismus, necessarium: non omne autem necessarium, syllogismus: quare non si quid accidit quibusdam positis, conandum ut protinus reducatur in suam formam, sed priús sumendæ sunt duæ propositiones, ut Aristoteles ipse præcipit tricesimo tertio capite libri primi priorum Analyticorum. Si quis igitur ita disputat:

—*Veuti incubuere mari:*
—*Crebris micat ignibus æther;*

Densi

—Denſi funduntur ab æthere nimbi:
Ergo tempeſtas eſt.

Ex his antecedentibus cauſſis ita poſitis, neceſſariò tempeſtas efficitur, neque tamen ſyllogiſmus eſt. Quãobrem Ariſtotelica ſyllogiſmi definitio, vel Ariſtotelis ipſius teſtimonio & judicio refelli videtur. Syllogiſmus ab Ariſtotele etiam dicitur logiſmus in eadem re & ſignificatione, ut capite quadrageſimo libri primi de Syllogiſmo: οὗτος γὰρ ἴσως καὶ λογισμός· hic enim fortaſſe ſyllogiſmus eſt: capite decimo octavo libri ſecundi de Demonſtratione, οἷον δόξα καὶ λογισμός, ut opinio & ſyllogiſmus: & tertio capite ſexti Topici, ἰσότης ἐναντίων λογισμῶν, æqualitas contrariorum ſyllogiſmorum: & octavo capite ſecũdi Phyſici, ἀρχὴ γὰρ καὶ αὐτὴ ὁ τῆς πράξεως, ἀλλὰ τὸ λογισμῷ· principium enim ipſum non actionis, ſed ratiocinationis: & primo capite libri primi Philoſophiæ, τὸ δὲ τὴν ἀνθρώπων γένος, καὶ τέχνῃ καὶ λογισμοῖς ζῇ· genus autem hominum arte vivit & ratiocinatione: & capite ſeptimo libri undecimi, διὸ ἄδηλος ἀνθρωπίνῳ λογισμῷ. quare incerta humana ratiocinatione.

Atque hoc vocabulum] Ut logiſmus, ſic ſyllogiſmus duas habet ſignificationes, unam propriam & nativam, & dicitur ratio ſeu calculus arithmeticus, qui fit additione & deductione, unde Arithmetica, Logiſtica nominatur, id eſt ars & ſcientia computandi: alteram hinc ſimilitudine quadam tranſlatam, quæ eſt legitima diſpoſitio quæſtionis cum argumento, unde quæſtio neceſſariò concluditur. Quemadmodum enim Arithmeticus calculator, addendo ſubducendoque videt quæ reliqui ſumma fiat: ita Dialecticus ratiocinator cúm apté quæſtionem cum argumento diſpoſuerit, ſummam tandem aliquam rationis efficit, & qualis ſit ipſa quæſtio, vera an falſa, judicat: qua ſimilitudine ratiocinatio etiam Latiné á Cicerone in Rhetoricis dicta eſt: argumentatio autem in Partitionibus oratoriis, quia ſit argumenti explicatio: Fabius capite ultimo libri quinti epicherema nominat. *Syllogiſmi*] Definitionem ſyllogiſmi ſe-

quitur partitio in tria membra, propoſitionem, aſſumptionem & complexionem: ex quibus omnis ſyllogiſmus componitur Cicero in veteri Rhetorico quinque partes ratiocinationi tribuit, ut prima ſit propoſitio, deinde ejus ratio, tum aſſumptio, quarta ejus approbatio, quinta complexio: á quo diſſentit Quintilianus capite decimo quarto libri quinti: Mihi (inquit) & plurimis nihilominús authoribus tres ſolummodo videntur: Nam ita ſe habet natura, ut ſit de quo quæratur, & per quod probetur: tertium adjici poteſt, velut ex conſenſu duorum antecedentium: Ita prima erit intentio, ſecunda aſſumptio, tertia complexio: Nam confirmatio primæ partis & ſecundæ exornatio, iiſdem cedere poſſunt, quibus ſubjiciuntur. Quæ diſtinctio apud Fabium numero quidem partium vera eſt, ſunt enim tres tantúm ſyllogiſmi partes, ſed probatione falſa: intentio enim & complexio, una & eadem pars eſt: nec aliud eſt intentio, quám propoſita quæſtio ſeu enuntiatio dubia, quæ ſubducta ratione tandem concluditur: aſſumptionis autem nomine, propoſitio & aſſumptio confunduntur: Porró vocabulum propoſitionis duobus modis intelligitur: aut enim dicitur intentio rei, de qua agitur, ſive propoſita quæſtio, ut libro tertio de Oratore, Propoſitio, quid dicturus ſis. Atque hac ſignificatione ſi cõcludatur, tertia & ultima pars eſt ſyllogiſmi: aut dicitur propoſitio prima pars, non ordine quidem ſemper, ut apparet in diſputationibus philoſophorum & oratorum, ubi propoſitio interdum ſecundum, interdum ultimum etiam locum habet: ſed tamen cum judicium de re dubia facere volumus, & ſyllogiſmum reteximus, primo loco conſideranda nobis eſt, in qua argumentum primúm diſponitur, vel cum quæſtionis parte conſequente ut in ſyllogiſmo ſimplici, vel cum utraque, ut in conjuncto: quod per ſpecies plané cognoſcetur.

Aſſumptio] Secunda pars ſyllogiſmi definitur, ubi argumentum aſſumitur é propoſitione, & cum altera tantúm parte quæſtionis diſponitur, nunquam cum utraque,

que, ut apparebit poſtea in generibus ſyllogiſmorum ſimplicium & conjunctorum: á Latinis appellatur aſſumptio, quia aliquid propoſitionis illic aſſumitur & repetitur, videlicet ipſum argumentum. Cicero in veteri Rhetorico: Aſſumptio (inquit) eſt particula orationis, per quam id quod ex propoſitione ad oſtendendum pertinet, aſſumitur. *Concluſio*] Poſtrema pars ſyllogiſmi multis appellatur nominibus, concluſio & complexio, Græcé ἡ συμπέρασμα, quia quaſi ſummam aliquam rationis & judicij colligit & concludit: connexio etiam á Quintiliano: itemque á Græcis ἐπιφορὰ, illatio: Interdum concluſio pro toto ſyllogiſmo uſurpatur, ut in Lucullo: Hæc concluſio, quam vim habeat, conſidera. Et primo libro de Divinatione: Concluſio autem rationis ea probatur, in qua ex rebus non dubiis, id quod dubitatur, efficitur. Et contrá ſyllogiſmus interdum dicitur, pro tertia illa parte ſyllogiſmi, ut capite decimoſeptimo libri ſecundi de Syllogiſmo: ἀεὶ γὰρ ἐναντίος συλλογισμὸς γίνεται τῷ πράγματι· Semper enim ſyllogiſmus efficitur contrarius rei. Syllogiſmus hic dicitur pro complexione. *Ut apud*] Partitio ſyllogiſmi declaratur exemplo ſpeciali, in quo ſyllogiſmus retexitur in ſuas partes, & argumenti cũ ſuis partibus diſpoſitio oſtenditur.

SYLLOGISMUS SIMPLEX, ET *ejus prima figura.*

Syllogiſmus, eſt ſimplex aut compoſitus: Simplex, cujus propoſitio & aſſumptio habent ſimplicem diſpoſitionem argumenti cum altera parte quæſtionis: ut in exemplo, laudabile, diſponitur in propoſitione cum ſola conſequente parte quæſtionis: in aſſumptione cum ſola antecedente: & quanvis á ſimplici argumenti diſpoſitione ſimplex appelletur ſyllogiſmus, non

á ſimplici enuntiatione, ex enuntiationis tamen ſimplicis differentiis, affirmatione, negatione generali, ſpeciali, propria, differentias generum accîpit. Species ſeu figuræ ſimplicis ſyllogiſmi ſunt tres, in quibus ſingulis utraque pars antecedens eſt generalis, vel altera tantúm, vel propoſitio ſaltem propria. unde generalis, ſpecialis proprius ſyllogiſmus appelletur. Prima figura eſt, in qua argumentum eſt antecedens propoſitionis, conſequens aſſumptionis.

Primus modus generalis eſt omnino affirmatus, ut ſyllogiſmus antea citatus:

Omne laudabile, eſt honeſtum:
Omne juſtum, eſt laudabile:
Omne itaque juſtum, eſt honeſtum.

Secundus modus generalis, eſt affirmatus ſola aſſumptione: ut,

Nullus timidus eſt liber:
Omnis avarus eſt timidus:
Itaque nullus avarus eſt liber:

Hoc ita concluditur & judicatur ab Horatio primo Epiſtolarum:

Quó melior ſervo, quó liberior ſit avarus,
In triviis fixum cúm ſe demittit ob aſſem,
Non video: nam qui cupiet, metuet quoque: porró
Qui metuens vivit, liber mihi non erit unquam.

Primus modus ſpecialis, eſt omnino affirmatus, & ſola propoſitione generalis, & é primo generali ducitur: ut,

Omne laudabile, eſt honeſtum:

Aliquod

Aliquod juſtum, eſt laudabile:
Aliquod itaque juſtum, eſt honeſtum.

Nec intereſt ſi pro aſſumptione ſpeciali, propria ſtatuatur: ut,

Conſules virtute facti, ſtudioſé Rẽp. tueri debent:
Cicero, eſt virtute factus Conſul:
Cicero igitur Rempub. ſtudioſé tueri debet.

Cicero ſic diligentiam ſuam Agraria ſecunda concludit & judicat, ſed partes comparationibus illuſtrat. Nam cúm omnium Coſſ. gravis in Repub. cuſtodienda, cura ac diligentia debet eſſe, tum eorum maximé, qui non in incunabulis, ſed in campo ſunt Coſſ. facti. Nulli populo Ro. pro me majores noſtri ſpoponderunt: mihi creditum eſt: á me petere, quod debeo, me ipſum appellare debetis. Quemadmodum cúm petebam, nulli me authores generis mei vobis commendarunt: ſic ſi quid deliquero, nullæ ſunt imagines, quæ me á vobis deprecentur. Quare modó ut vita ſuppetat (quanquam ego ſum is, qui eam poſſim ab iſtorum ſcelere inſidiiſque defendere) polliceor hoc vobis, Quirites, bona fide, Rempub. vigilanti homini, non timido: diligenti, non ignavo, commiſiſtis.

Secundus modus ſpecialis, aſſumptione ſola eſt affirmatus, & ſola propoſitione generalis: é ſecundo autem generali modo deducitur: ut,

Nullus timidus eſt liber:
Aliquis avarus, eſt timidus:
Aliquis igitur avarus non eſt liber:

Hic etiam propria assumptio esse potest pro speciali: ut,

Nullus deceptor amantis puellæ, laudandus est:
Demophoon, est deceptor amantis puellæ, ut Phyllidis:
Demophoon igitur non est laudandus:

Phyllis apud Ovidium ita judicat Demophoontem laudandum non esse:

Fallere credentem non est operosa puellam
Gloria: simplicitas digna favore fuit.
Sum decepta tuis & amans & fœmina verbis:
Dii faciant laudis summa sit ista tuæ.

Primus modus proprius, est omnino affirmatus: ut,

Octavius est hæres Cæsaris:
Ego sum Octavius:
Sum igitur hæres Cæsaris.

Secundus modus proprius, sola est assumptione affirmatus: ut,

Antonius non est filius Cæsaris:
Tu es Antonius:
Non es igitur filius Cæsaris.

Hæc prima species, est evidentia syllogismi prima: omneque genus quæstionis affirmatæ, negatæ, generalis, specialis, per eam concluditur & judicatur.

Syllogismus] Syllogismus secunda divisione dividitur, ut totum universale in duas species, syllogismum simplicem & compositum, qui á Boëtio nominantur syllogismus categoricus & hypotheticus: vocabulis quidem á Theophrasto & Eudemo acceptis, sed tamen signifi-

ſignificatione parum apta & conveniente: quia ſyllogiſmus ex genere diſpoſitionis potiús, quám ex partiũ adjunctis diſtinguendus fuit. Syllogiſmus ſimplex eſt, in quo argumentum cum partibus quæſtionis ſimpliciter & ſeparatim diſponitur, ut cum parte conſequente in propoſitione, & cum antecedente in aſſumptione: ut in exemplo ſuperiore argumentũ, laudabile, diſponitur ſeorſum cum parte conſequente quæſtionis, hoc modo:

Omne laudabile, eſt honeſtum:

Et ſeorſum cum parte antecedente, hoc modo:

Omne juſtum, eſt laudabile:

Ac quanvis] Cúm ſyllogiſmus dividitur in ſimplicem & compoſitum, in hac generali diviſione non habetur ratio enuntiationis ſimplicis aut compoſitæ, ut paulò anté docuimus, ſed tantummodó argumenti ſimpliciter aut compoſité cum partibus quæſtionis diſpoſiti: & tamen ſpecies ſyllogiſmorum ſimplicium, ut mox apparebit, ex adjunctis ſimplicium enuntiatorum, ab Ariſtotele diſtinguuntur: modi ſiquidem illorum appellantur generales, ſpeciales, proprii, affirmati, negati, ab enuntiationibus generalibus, ſpecialibus, propriis, affirmatis, negatis: qua quidem diſtinctione nos uti cogemur, donec alia melior & commodior inventa fuerit, ſi tamen inveniri poterit. *Species*] Diviſio ſimplicis ſyllogiſmi in tres ſpecies ſumitur, ex triplici varietate argumenti ſimpliciter diſpoſiti: aliás enim conſequentem partem quæſtionis antecedunt in propoſitione, & conſequuntur antecedentem in aſſumptione, & dicitur prima ſpecies: ut,

Quod ſemper movetur, æternum eſt:
Animus ſemper movetur:
Animus igitur æternus eſt.

Aliás utranque partem quæſtionis conſequitur, & dicitur ſecunda ſpecies: ut,

Nullum vitium eſt expetendum:
Omnis virtus eſt expetenda:
Nulla igitur virtus eſt vitium.

Aliás utrunque antecedit, & dicitur tertia ſpecies: ut,

Omnis avarus eſt inſatiabilis:
Omnis avarus eſt injuſtus:
Aliquis igitur injuſtus eſt inſatiabilis.

Ariſtoteles vocat has ſpecies figuras, ejus verba ſunt primi de Syllogiſmo capite quarto, καὶ καλῶ δὲ τὸ τοιοῦτον σχῆμα πρῶτον· atque hujuſmodi dico primam figuram, id eſt primam ſpeciem ſyllogiſmi: & capite quinto, τὸ μὲν σχῆμα τὸ τοιοῦτον καλῶ δεύτερον· figuram quidem hujuſcemodi voco ſecundā: & capite ſexto, τὸ μὲν σχῆμα, τὸ τοιοῦτον καλῶ τρίτον· figurā quidem hujuſcemodi appello tertiā: quod nomē proprié geometricū eſt: Nam genera lineamētorum, ut circulus, triāgulum, quadratum, proprié dicuntur σχήματα, & his locis per metaphorā uſurpatur pro dialectica ſpecie: ſic Ariſtoteles σχήματα κατηγοριῶν, ſpecies categoriarum dixit libris nono & decimo Philoſophiæ *In quibus*] Tres ſyllogiſmi ſimplicis ſpecies, tres differentias communes habent, ab adjunctis enuntiatorum ſimplicium ſumptas: Nam in unaquaque ſpecie ſyllogiſmus generalis, ſpecialis & proprius invenitur, ut mox intelligetur: generalis, quādo duæ primæ partes generales ſunt: ſpecialis, quando altera ſpecialis: proprius, quando utraque vel altera eſt propria. Atque iccirco hæc diſtinctio in generali partitione ſimplicis ſyllogiſmi incluſa eſt, quia ad ſingulas ſpecies cōmuniter attiner. *Prima figura*] Prima ſpecies ſimplicis ſyllogiſmi definitur, in qua argumentum antecedit in propoſitione, & conſequitur in aſſumptione. ut,

Omne laudabile, eſt honeſtum:
Omne bonum, eſt laudabile:
Ergo omne bonum, eſt honeſtum.

Argumentū, laudabile, eſt antecedēs propoſitionis & conſequens aſſumptionis: In hoc genere diſpoſitionis (ut antea monuimus) tres ſunt modi, generalis, ſpecialis & proprius: generalis autē duplex, affirmatus & negatus: Generalis affirmatus eſt, cujus partes antecedentes generales & affirmatæ ſunt, ut in proximo exemplo,

Omne

Omne Laudabile, eſt honeſtum:

Propoſitio generaliter affirmatur. Item:

Omne bonum, eſt laudabile:

Aſſumptio generaliter affirmatur. Complexio propoſitioni & aſſumptioni ſimilis hic eſt, id eſt generalis & affirmata: ut,

Ergo omne bonum, eſt honeſtum.

Poteſt etiam hinc ſpecialis effici, quod enim concluditur in genere, & omnino, idem quoque licet in ſpecie concludere: ut,

Ergo aliquod bonum, eſt honeſtum.

Atque hic modus, ut judicii naturalis lege clariſſimus eſt, ita ad doctrinæ ſcientiam eſt accommodatiſſimus, & ad cognoſcendum quid ſit, de quo agitur, quia ſententias generales & affirmatas diſputat & cōcludit.

Secundus modus] Secundus modus generalis ſola aſſumptione affirmatur: ut,

Nullus timidus eſt liber:
Omnis avarus eſt timidus:
Nullus igitur avarus eſt liber.

Horatius ex Stoicorum ſententia, ſic ratiocinatur ex repugnantibus, libro primo Epiſtolarum: ubi complexio primo loco ponitur, aſſumptio ſecundo, propoſitio ultimo. Nec ſine cauſſa in definitione præcipitur, ut hic modus ſola aſſumptione affirmetur: Nam ſi propoſitionem affirmaris, & aſſumptionem negaris, ſyllogiſmus non erit: ut,

Omne animal, eſt ſubſtantia:
Nullus lapis eſt animal:
Nullus igitur lapis eſt ſubſtantia.

Fallax eſt diſpoſitio, quia partibus antecedentibus veris, falſa ſequitur concluſio. Atque hic ſecundus modus univerſitate quidem, primo modo par eſt, ſed luce doctrinæ impar, quia non concludit quid ſit, ſed quid non ſit: clarius autem eſt, quid ſit, cōcludere, quám quid non ſit: Uſum tamen ſuperiori feré parem obtinet, præſertim in diſputationibus philoſophorum, quæ refellē-

di gratia inſtituuntur, ubi generales quæſtiones negaté concluduntur: Hic etiam complexio poteſt eſſe ſpecialis, ob eam cauſſam, quam pauló anté in primo modo docuimus. *Primus modus*] Quemadmodum generalis, ita ſpecialis modus in primo genere duplex eſt: primus uſquequaque affirmatus, & ſola propoſitione generalis, & á primo generali deductus eſſe videtur, ut quod illic generaliter & affirmaté concluditur, hic ſpecialiter & affirmaté dicatur: itaque aſſumptio & complexio, quæ illic generales erant, hic ſpeciales fiunt: ut,

Omne laudabile, eſt honeſtum:
Aliquod juſtum eſt laudabile:
Aliquod igitur juſtum, eſt honeſtum.

Nec intereſt] Nihil intereſt ad hanc rationem diſpoſitionis, pro ſpeciali proprium enuntiatum ponere: idque apud poëtas & oratores longé uſitatiſſimum eſt, quorum oratio magnam partem in quæſtionibus finitis & propriis verſatur: ut,

Conſules virtute facti, ſtudioſé Remp. tueri debent:
Cicero eſt Conſul virtute factus:
Studioſé igitur Remp. tueri debet.

Hoc modo Cicero Agraria ſecunda pollicetur, ſe diligentem fore in tuenda Rep. Propoſitio ſyllogiſmi prima eſt, & amplificatur duplici comparatione, una majorum, altera minorum: Aſſumptio exornatur item é diſſimilibus: Non ſum factus Conſul commendatione maiorum meorum, ſed perſpectæ virtutis: Concluſio etiam eodem genere cõparationis illuſtratur: Quare futurus ſum vigilans, non timidus: diligens, nõ ignavus. Recté aùtem in definitione poſitum eſt, ut hic modus fiat ſola propoſitione generalis: Nam ſi propoſitio fuerit ſpecialis, aſſumptio generalis, nihil concludetur: ut,

Aliquod animal currit, ut equus:
Omnis homo eſt animal:
Ergo aliquis homo currit.

Syllogiſmus non eſt. *Secundus*] Secundus modus ſpecialis

ſpecialis proficiſcitur á ſecundo generali, aſſumptione & complexione generalibus in ſpeciales mutatis: Nec quicquam hic præterea eſt novæ artis: itaque quod illic generaliter concluditur, hic ſpecialiter efficitur: ut,

Nullus timidus eſt liber:
Aliquis avarus eſt timidus:
Aliquis igitur avarus non eſt liber.

Idem quoque efficies, ſi pro ſpecialibus enuntiatis propria ſumantur: ut,

Nullus deceptor amantis puellæ, eſt laudandus:
Demophoon eſt deceptor amantis puellæ, ut Phyllidis:
Demophoon igitur non eſt laudandus.

Sic Phyllis ratiocinatur in Epiſtola apud Ovidium: ubi ſyllogiſmus eſt naturali partium ordine concluſus.

Primus modus proprius] Proprii modi non differunt quãtitate generali aut ſpeciali enuntiationum, ſed ſola qualitatis differentia diſtinguuntur, id eſt affirmationis & negationis: Primus itaque eſt omnibus partibus affirmatus: ut.

Octavius eſt hæres Cæſaris:
Ego ſum Octavius:
Ego itaque ſum hæres Cæſaris.

Interdũ hic modus ſola propoſitione eſt proprius: ut,

Romulus eſt conditor Romæ:
Aliquis filius Martis, eſt Romulus:
Aliquis igitur filius Martis, eſt conditor Romæ.

Secundus modus eſt ſola aſſumptione affirmatus, propoſitione & concluſione negatus: ut,

Antonius non eſt filius Cæſaris:
Tu es Antonius:
Non es igitur filius Cæſaris.

Ariſtoteles capite ſexto libri primi de Syllogiſmo, cũm ſyllogiſmos ſimplices tertiæ figuræ per expoſitionem probat, dat aliquam ſignificationem ſyllogiſmorum propriorum, ſed ſubobſcuram: & velut aliud agẽs, communem ſyllogiſmorum ſpecialibus exemplis declarat: ut,

Omnis homo ſentit:
Omnis homo eſt animal rationale:
Aliquod igitur animal rationale ſentit.

Hic ſyllogiſmus per expoſitionem ſic demonſtratur:

Socrates ſentit:
Socrates eſt animal rationale:
Aliquod igitur animal rationale ſentit.

Sed Ariſtoteles (ut dixi) non id agit, ut doceat, ſyllogiſmum ex propriis enuntiatis fieri, & communi arte ſyllogiſmorum conformari, ſed caſu aliquo in idipſum incidit, quod tamen neque animadvertit, neque docuit.

Hæc prima] Omnis quidem ſyllogiſmus naturalem in ſe continet perſpicuitatem, ſed in hoc primo genere, evidentia diſpoſitionis & judicii prima ſummaque eſt: itaque natura duce, hujuſmodi diſpoſitionem maximé ſequimur & probamus, nec quicquam clarius & apertius videmus. Itaque cúm argumentum, majus extremum quæſtionis antecedit, & minus conſequitur, ea forma & lege, quam præſcripſimus, ſyllogiſmum talem ut dignitate, ſic evidentia & claritate primum & principem eſſe judicamus, in quo quæſtiones concluduntur, non ſolúm generales, quas mens & intellectus dijudicat, ſed etiam ſpeciales & propriæ, quæ in ſenſus etiam judicium cadunt.

SECUNDA FIGURA.

Secunda figura eſt, in qua argumentum eſt conſequens propoſitionis & aſſumptionis.

Primus generalis modus, aſſumptione ſola eſt affirmatus: ut,

Nullus turbatus, ratione bene utitur:
Omnis ſapiens ratione bene utitur:
Nullus igitur ſapiens, eſt turbatus.

Hoc judicium ita fit á Cicerone tertia Tuſculana,

culana, ſed propoſitio collatione illuſtratur: Et quemadmodum oculus cõturbatus non eſt probé affectus ad ſuum munus fungendum: & reliquæ partes totumque corpus à ſtatu cúm eſt motum, deeſt officio ſuo & muneri: ſic conturbatus animus non eſt probé affectus ad exequẽdum munus ſuum: Munus autem animi, eſt ratione uti: & ſapientis animus ita ſemper affectus eſt, ut ratione optimé utatur: Nunquam igitur eſt perturbatus.

Secundus modus generalis, ſola propoſitione eſt affirmatus: ut,

Omnis res mortalis componitur & dividitur:
Nulla anima componitur, neque dividitur:
Nulla igitur anima eſt mortalis.

Cicero quinta Tuſculana hoc ſyllogiſmo judicat animum immortalem eſſe: Aſſumptio prima eſt, concluſio ſecunda, propoſitio ultima. In animi autem cognitione dubitare non poſſumus, niſi forté in phyſicis plumbei ſumus, quin nihil ſit animis admixtum, nihil concretum, nihil copulatum, nihil coagmentatũ, nihil duplex. Quod cúm ita ſit, certé nec ſecerni, nec dividi, nec diſcerpi, nec diſtrahi poteſt: nec interire igitur: Eſt enim interitus, quaſi diſceſſus & ſecretio ac diremptus earum partium, quæ ante interitum junctione aliqua tenebantur.

Primus modus ſpecialis, eſt affirmatus aſſumptione ſola, & generalis propoſitione ſola: ut,

Nullus lividus eſt magnanimus:

Maximus eſt magnanimus:
Maximus igitur non eſt lividus.

Hoc judicio Ovidius tertio Triſtium concludit,& partes comparationibus illuſtrat:

Livor, iners vitium, mores non exit in altos;
Utque latens ima vipera ſerpit humo.
Mens tua ſublimis ſupra genus eminet ipſum:
Grandius ingenio nec tibi nomen ineſt.
Ergo alii noceant miſeris, optentque timeri,
Tinctaque mordaci ſpicula felle gerant:
At tua ſupplicibus domus eſt aſſueta juvandis:
In quorum numero me precor eſſe velis.

Secundus modus ſpecialis, ſola propoſitione eſt affirmatus & generalis. Hoc judicii modo Ovidius tripliciter concludit, dum carminum ſuorum excuſationem exponit:

Carmina proveniunt animo deducta ſereno:
Nubila ſunt ſubitis tempora noſtra malis.
Carmina ſeceſſum ſcribentis, & otia quærunt:
Me mare, me venti, me fera jactat hyems.
Carminibus metus omnis abeſt: ego perditus enſem
Hæſurum jugulo jam puto, jamque meo.
Hæc quoque, quæ facio, judex mirabitur æquus:
Scriptaque, cum venia, qualiacunque leget.

Primus modus proprius, eſt affirmatus ſola aſſumptione: ut,

Ageſilaus non eſt pictus ab Apelle:
Alexander eſt pictus ab Apelle:
Alexander igitur, non eſt Ageſilaus.

Secun-

Secundus modus proprius, eſt affirmatus ſola propoſitione: ut,

Cæſar oppreſsit patriam:
Pompejus non oppreſsit patriam:
Pompejus igitur, non eſt Cæſar.

Hæc ſecunda figura minús eſt frequens, quã prima, & quæſtionem negatam tantúm concludit.

Secunda figura] Dictum eſt de prima ſpecie ſeu figura ſimplicis ſyllogiſmi, ſecunda figura deinceps explicanda eſt: in qua argumẽtum utranque partem quæſtionis conſequitur: argumentum autem conſequitur, quando eſt attributum, & partes quæſtionis, ſunt ſubjecta: ut,

Omne regnum, eſt Reip. ſalutare:
Nulla tyrannis, eſt Reip. ſalutaris:
Nulla igitur tyrannis, eſt regnum.

Argumentum, ſalutare, in propoſitione & aſſumptione attributum eſt. In hoc genere, ſicut in primo, triplex eſt concluſionis modus, generalis, ſpecialis, & proprius: generalis item duplex: primus aſſumptione ſola affirmatus, propoſitione & concluſione negatus: quale eſt illud Stoicum conſectarium:

Nullus turbatus, ratione bene utitur:
Omnis ſapiens, ratione bene utitur:
Nullus igitur ſapiens, eſt turbatus.

Argumentum eſt á repugnantibus: propoſitio, Tuſculana tertia illuſtratur á ſimilibus, aſſumptio eſt ſecunda, complexio ultima. Secundus modus generalis, ſola propoſitione affirmatur, aſſumptione & complexione negatur: quo modo Cicero Tuſculana quinta cõcludit, nullum animum interire: argumentum eſt á repugnantibus, quód nullus animus componitur & dividitur: Atque in hoc exemplo Ciceronis, aſſumptio prima eſt, complexio ſecunda, propoſitio ultima: Nam

perſæpe ordo partium ſyllogiſmi immutatur, ut ipſa varietate gratior & jucundior ſit oratio, & ne ars ipſa cōcluſionum nimiúm oſtentari videatur: & tamen cúm ſententiam orationis examinamus, & ad legem artis revocamus, unamquanque partem ſuo loco & ordine diſponimns, facilioris intelligentiæ gratia. *Primus*] Specialis modus duplex, primus propoſitione generalis & negatus, aſſumptione ſpecialis & affirmatus, complexione ſpecialis & negatus: Atque is ſub primo generali continetur, quia quod illic generaliter concludebatur, hic ſpecialiter concluditur: Nihil autem intereſt (ut anté diximus) pro ſpecialibus enuntiatis, propria ponere. Sic Ovidius ratiocinatur libro tertio de Ponto: ubi argumentum, magnanimus, repugnat majori parti quæſtionis, quæ eſt, lividus: Propoſitio eſt in primo diſticho, quæ illuſtratur á ſimilibus: aſſumptio in ſecundo, quæ declaratur collatione minorum & parium: complexio in tertio & quarto, quæ amplificatur é diſſimilibus. Secundus modus ſpecialis ex ſecundo generali etiam deducitur, aſſumptione & complexione generalibus mutatis in ſpeciales: Sola igitur propoſitio generalis & affirmata hic eſt: Sic Ovidius exul apud Getas, concludit ſe non poſſe ſcribere bonos verſus, & ex tribus argumentis tres ſpeciales ſyllogiſmos efficit, quorum primus ſic eſt:

Omnis bonus poëta, debet eſſe lætus:
Ego non poſſum eſſe lætus:
Non igitur ſum bonus poëta.

Secundus ſic: *Omnis bonus poëta eſt ſolitarius & otioſus:*
Ego ſolitarius & otioſus non ſum:
Neque igitur bonus poëta.

Tertius ſic: *Omnis bonus poëta, eſt vacuus á perturbatione:*
Ego non ſum vacuus á perturbatione:
Neque igitur ſum bonus poëta.

Primus modus proprius] Modus proprius in ſecunda figura item duplex eſt: Primus uſquequaque proprius, ſola autem aſſumptione affirmatus: ut,

Ageſilaus non eſt pictus ab Apelle:
Alexander pictus eſt ab Apelle:
Alexander igitur non eſt Ageſilaus.

Argumentum, pictus ab Apelle, utranque partem quæſtionis conſequitur. Secundus modus eſt omnino proprius, & ſola propoſitione affirmatus: ut,

Cæſar oppreſſit patriam:
Pompejus non oppreſſit patriam:
Pompejus igitur non eſt Cæſar.

Argumentum, opprimere patriam, conſequitur utranque partem quæſtionis: & ſyllogiſmi partes, ſunt enuntiationes propriæ & ſingulares. *Hæc ſecunda*] In ſecunda figura concluſio valdé quidem naturalis eſt: & quauvis in hac, tanta claritas nõ inſit, quanta eſt in prima, per ſe tamen ſatis probatur: dupliciter veró á prima diſtinguitur, primúm quód minús ſit frequẽs in uſu quotidiano & in bonis authoribus, deinde quia ſemper negaté concludit: prima autem modó affirmaté modó negaté: ideoque ſecunda figura refutationibus quæſtionum generalium & ſpecialium conveniet.

TERTIA FIGURA.

Tertia figura eſt, in qua argumentum eſt antecedens propoſitionis & aſſumptionis: & priores figuras duobus ſpecialibus modis ſuperat: at generaliter nihil concludit.

Primus modus generalis, eſt omnino affirmatus: ut,

Omnis magnanimitas eſt laudabilis:
Omnis magnanimitas eſt confidentia:
Aliqua igitur confidentia eſt laudabilis.

Secundus modus generalis, eſt affirmatus ſo-

la aſſumptione: ut,

Nulla temeritas eſt laudabilis:
Omnis temeritas eſt confidentia:
Quædam igitur confidentia non eſt laudabilis.

Primus modus ſpecialis, eſt omnino affirmatus, ſed generalis ſola aſſumptione: ut,

Quædam magnanimitas eſt laudabilis:
Omnis magnanimitas eſt confidentia:
Quædam igitur confidentia eſt laudabilis.

Secundus modus ſpecialis, eſt omnino affirmatus, ſed generalis propoſitione ſola: ut,

Omnis magnanimitas eſt laudabilis:
Quædam magnanimitas eſt confidentia:
Quædam igitur confidentia eſt laudabilis.

Tertius modus ſpecialis, eſt affirmatus & generalis aſſumptione ſola: ut,

Quædam temeritas non eſt laudabilis:
Omnis temeritas eſt confidentia:
Quædam igitur confidentia non eſt laudabilis.

Quartus modus ſpecialis, eſt negatus & affirmatus ſola aſſumptione, & generalis ſola propoſitione: ut,

Nulla temeritas eſt laudabilis:
Quædam temeritas eſt confidentia:
Quædam igitur confidentia non eſt laudabilis.

Primus modus proprius, eſt omnino affirmatus: ut,

Magnanimitas Catonis eſt laudabilis:
Magnanimitas Catonis eſt confidentia:
Quædam igitur confidentia eſt laudabilis.

Secundus

Secundus modus proprius, eſt affirmatus ſola aſſumptione: ut,

Temeritas Catilinæ non eſt laudabilis:
Temeritas Catilinæ eſt confidentia:
Quædam igitur confidentia non eſt laudabilis.

Eadem quæſtio tribus modis in hac figura concludi poteſt: imó quatuor, ſi argumentum mutetur, ut apparet in his exemplis. Atque triũ figurarum hæc poſtrema uſu pleni & perfecti ſyllogiſmi rariſſima eſt: attamen ſentẽtia & uſus hujus judicii videtur admodum frequens eſſe, omniaque exempla, quæ ad ſpecialem quæſtionem adhibentur, ad hoc judicium ſpectare: ut ſi ſine ſyllogiſmo integro diceremus,

Quædam confidentia eſt laudabilis, ut omnis magnanimitas, ut Catonis magnanimitas;
Quædam confidentia non eſt laudabilis, ut omnis temeritas, ut Catilinæ temeritas:

Hic videntur ejuſmodi exempla ſub utranque partem quæſtionis ſubjici, ut intelligamus omnem magnanimitatem eſſe laudabilem, & eſſe confidentiam: unde concluditur in hac tertia figura, quandam confidentiam eſſe laudabilem: ſimiliter nullam temeritatem eſſe laudabilem: omnemque temeritatem, vel aliquam ſaltẽ, eſſe confidentiam: unde etiam ſequatur in eadem figura, aliquam confidentiam non eſſe laudabilem: Item magnanimitatem Catonis eſſe laudabilem, & eſſe confidentiam: unde judicetur, quandam confidentiam eſſe laudabilem:

Pariter temeritatem Catilinæ non eſſe laudabilem,& eſſe quandam confidentiam: unde efficiatur, quandam confidentiam non eſſe laudabilem: Et ſimiliter in omnibus exemplis ſic accommodatis. Atque etiam quia nonnunquam propoſitio vel aſſumptio poteſt eſſe ſpecialis, vel utraque propria, deſcriptio artis hic erit utilis ad ejuſmodi ſyllogiſmos breviter propoſitos, integré & diſtinctè concludendũ. Quare hæc figura quanvis ex tribus rariſſima ſit, nullumque ejus exemplum tam diſtinctè, quám quis poſtulet,ad regulam artis factum ſit:attamen ſententia talis uſitata valdé eſt ac frequentata: Exemplum enim ſic adhibitum, vim ſententiamque propoſitionis & aſſumptionis continet.

Tertia figura] Tertia figura ſive ſpecies ſimplicis ſyllogiſmi definitur, in qua argumẽtum utranque partem quæſtionis antecedit, majorem videlicet in propoſitione, & minorem in aſſumptione:& hac nota proprié diſtinguitur á prima & ſecunda: Duæ ſunt præterea aliæ differentiæ,una quód in prima & ſecunda duo ſunt tãtúm modi ſpeciales: hic veró quatuor notantur: altera quód ſuperiores figuræ & generaliter & ſpecialiter & proprié concludunt: tertia vel ſpecialiter, vel proprié tantúm, generaliter nunquam concludit. His ergo tribus notis tertia figura á duabus ſuperioribus diſtincta eſt: ſed tamen cúm his aliqua ratione conſentit, quód tres modos habeat,ſicut prima & ſecunda,videlicet generalem,ſpecialem,& proprium:Generalis dicitur non omnino quidem, ſed utraque parte antecedente generalis: nam complexio hic ſemper ſpecialis adhibetur: Generalis igitur definitur, cujus propoſitio & aſſumptio ſunt generales enuntiationes: Cujus duo ſunt modi,

di, primus omnibus partibus affirmatus: ut in exemplo propoſito:

Omnis magnanimitas eſt laudabilis:
Omnis magnanimitas eſt confidentia:
Aliqua igitur confidentia eſt laudabilis.

Omnes partes ſunt affirmatæ, & duæ antecedentes univerſæ. Secundus modus, eſt ſola aſſumptione affirmatus, propoſitione & complexione negatus: ut in hoc exemplo:

Nulla temeritas eſt laudabilis:
Omnis temeritas eſt confidentia:
Quædam igitur confidentia non eſt laudabilis.

Vides ut partes antecedentes generaliter enuntientur, & ſola aſſumptio affirmetur. *Primus modus ſpecialis*] In tertia figura modi ſpeciales ſunt quatuor, ut anté diximus: ubi pro ſpecialibus enuntiatis licebit propria ponere, ſicut in prima figura & in ſecunda demonſtratum eſt. Primus ſpecialis, eſt omnino affirmatus, ſed ſola aſſumptione generalis, & á primo generali deducitur, mutata propoſitione generali in ſpecialem: ut in hoc exemplo vides:

Aliqua magnanimitas eſt laudabilis:
Omnis magnanimitas eſt confidentia:
Aliqua igitur confidentia eſt laudabilis.

Ex primo generali factus eſt primus ſpecialis, mutata propoſitione generali in ſpecialem.

Secundus modus item á primo oritur, mutata aſſumptione generali in ſpecialem: ut,

Omnis magnanimitas eſt laudabilis:
Aliqua magnanimitas eſt confidentia:
Quædam igitur confidentia eſt laudabilis.

Illic generaliter aſſumebatur,

Omnis magnanimitas eſt confidentia:

Hic ſpecialiter aſſumitur,

Aliqua magnanimitas eſt confidentia,

Tertius modus] Tertius ſpecialis modus, fit ex ſecundo

generali, converſione propoſitionis generalis in ſpecialem: ut,

Quædam temeritas non eſt laudabilis:
Omnis temeritas eſt confidentia:
Quædam igitur temeritas non eſt confidentia.

In ſecundo modo generali, generaliter propoſitum erat,

Nulla temeritas eſt laudabilis:

Hic ſpecialiter dicitur,

Aliqua temeritas non eſt laudabilis.

Quartus item modus á ſecundo deſcendit, mutata aſſumptione generali in ſpecialem: ut,

Nulla temeritas eſt laudabilis:
Aliqua temeritas eſt confidentia:
Aliqua igitur confidentia non eſt laudabilis.

Quod illic generaliter erat aſſumptum, hic ſpecialiter aſſumitur: ut,

Aliqua temeritas eſt confidentia.

Primus] In tertia figura modus quoque proprius duplex eſt, ab antecedentibus partibus ſic appellatus, quæ ſunt propriæ enuntiationes: complexio autem efficitur non propria, ſed ſpecialis. Primus modus eſt omnino affirmatus: ut,

Magnanimitas Catonis eſt laudabilis:
Magnanimitas Catonis eſt confidentia:
Aliqua igitur confidentia eſt laudabilis.

Secundus propoſitione & complexione negatus, ſola autem aſſumptione affirmatus: ut,

Temeritas Catilinæ non eſt laudabilis:
Temeritas Catilinæ eſt confidentia:
Aliqua igitur confidentia, non eſt laudabilis.

Eadem quæſtio] In tertia figura quatuor modi affirmati, ut primus generalis, duo ſpeciales primi, & primus proprius unam & eandem quæſtionem ſpecialem & affirmatam concludere poſſunt, ut exempla priús citata nos docent: Similiter quatuor negati, ut ſecundus generalis,

generalis, duo ſpeciales poſtremi, & ſecundus proprius unam & eandem quæſtionem ſpecialem & negatam concludunt, ut apparet etiam in exemplis propoſitis: quod eó fit, quia modus generalis complexionem efficit ſpecialem, & ſpeciales propriique modi ſub generali continentur. Itaque quæſtio ſpecialis, ſive affirmata, ſive negata fuerit, quatuor modis in hac figura concludi poteſt: Sed in propriis modis argumentum mutatur, quia proprium ſumitur, unde concluditur quæſtio ſpecialis, ut vides in exemplis anté poſitis.

Atque harum] Syllogiſmus tertiæ figuræ non eſt tam perſpicuus & illuſtris, quám ſyllogiſmus primæ aut ſecundæ, ſed tamen ſua luce & perſpicuitate clarus eſt, & per ſe firmus & conſtans: Omnis enim ſyllogiſmus, eſt diſpoſitio perſpicua & naturalis: ſed ut in ſtellis, ſic in figuris ſyllogiſmorum ſunt quidam gradus claritatis: ut ſyllogiſmus tertiæ figuræ ſit clarus, ſecundæ clarior, primæ clariſſimus: unuſquiſque tamen ſua naturali perſpicuitate contentus. Laurentius Valla libro tertio Dialecticæ, tertiam figuram velut inuſitatam repudiavit, verúm quanvis in hac ſpecie ſyllogiſmus omnibus ſuis membris concluſus, raró inveniatur in bonis authoribus, frequentiſſimé tamen imperfectus incidit: ut cúm ad ſpecialem quæſtionem aliquod exemplum adhibetur (adhibetur autem ſæpiſſimé & uſitatiſſimé) tum veſtigium aliquod tertiæ figuræ apparet: & addita aſſumptione vel propoſitione, quæ deeſt, ſyllogiſmus in tertia figura concluditur.

SYLLOGISMUS COMPOSITUS, *ac primúm connexus.*

Syllogiſmus compoſitus eſt, cujus affirmata propoſitio habet argumétum cum utraque parte quæſtionis diſpoſitum. Syllogiſmus compoſitus eſt connexus aut diſjunctus: Syllogiſmus cŏ-

nexus, est syllogismus compositus, cujus propositio est connexa: Modi sunt quatuor.

PRIMUS MODUS CONNEXUS.

Primus modus connexus assumit antecedēs, & consequens concludit: Quomodo Cicero judicat & concludit secundo de Divinatione:

Si dii sunt, divinatio est:
Sunt autem dii:
Divinatio est igitur.

Sic Æneidos quarto, Dido judicat Æneæ remanendum esse:

Mene fugis? Per ego has lachrymas, dextramque tuam, te,
Quando aliud mihi jam miserę nihil ipsa reliqui:
Per connubia nostra, per inceptos hymenæos,
Si bene quid de te merui, fuit aut tibi quicquam
Dulce meum, miserere domus labentis, & istam,
Oro, si quis adhuc precibus locus, exue mentem.
Te propter Libycę gentes, Nomadumque tyranni
Odere, infensi Tyrii: te propter eundem
Extinctus pudor: & qua sola sidera adibam,
Fama prior: cui me moribundam deseris hospes?

Aliquando non assumitur idem, sed majus: ut prima Catilinaria: Si te parentes timerent atque odissent tui, neque illos ulla ratione placare posses, ut opinor, ab eorum oculis aliquó concederes: nunc te patria, quæ communis est omniū nostrum parens, odit ac metuit, & jam diu de te nihil judicat, nisi de parricidio suo cogitare: Hujus

jus tu neque authoritatem verebere, neque judicium ſequere, neque vim pertimeſces? Concludendi modus hic idem eſt, quando propoſitio eſt relata: quo genere nympha Oenone apud Ovidium concludit errorem ſtultitiæ ſuæ:

Cùm Paris Oenone poterit ſpirare, relicta:
Ad fontem Xanthi verſa recurret aqua.
Xanthe retró propera, verſæque recurrite lymphæ:
Suſtinet Oenonem deſeruiſſe Paris.

SECUNDUS MODUS
connexus.

Secundus modus connexus aſſumit contradictionem conſequentis, & antecedentis contradictionem concludit:

Si ulli rei ſapiens aſſentietur uſquam, aliquando etiam opinabitur:
Nunquam autem opinabitur:
Nulli igitur rei aſſentietur.

Eodem ſyllogiſmo Ovidius ſecundo de Triſtibus, ſtultitiam ſuam judicat:

Si ſaperem, doctas odiſſem jure ſorores,
Numina cultori pernicioſa ſuo.
At nunc tanta meo comes eſt inſania morbo:
Saxa memor refero rurſus ad icta pedem.

Interdum nominatim neque aſſumitur, neque concluditur contradictio partium, ſed aliud quoddam oppoſitum ſtatuitur: Qua via Cicero quarta Philippica judicat Antonium Reipub. hoſtem eſſe:

Si Conſul Antonius, Brutus hoſtis:
Si conſervator Reip. Brutus, hoſtis Antonius.

Hæ ſyllogiſtici judicii ſpecies, ſunt maximè omnium uſitatæ.

TERTIUS MODUS *connexus.*

Duo præterea modi connexi additi ſunt, ubi antecedens negatur, & conſequens affirmatur: itaque tertius modus connexus aſſumit contradictionem antecedentis, & conſequentis contradictionem concludit: ut,

Si Trojani ſine tua venia in Italiam venerunt, ſunt puniendi:
At venia tua venerunt:
Itaque non ſunt puniendi.

Sic Venus pro Trojanis, Æneidos decimo diſputat:

Si ſine pace tua, atque invito numine, Troës
Italiam petiere, luant peccata, neque illos
Juveris auxilio: ſin tot reſponſa ſecuti,
Quæ ſuperi, manesque dabãt: cur nunc tua quiſquam
Flectere juſſa poteſt? aut cur nova condere fata?

Sic Cicero concludit, cúm diſputat Muræ-nam ſibi defendendum eſſe: Quód ſi licet deſinere, ſi te authore poſſum: ſi nulla inertiæ, nulla ſuperbiæ turpitudo, nulla inhumanitatis culpa ſuſcipitur, ego veró libenter deſino: ſin veró inertiam

ertiam fuga laboris,& deſidiam:repudiatio ſupplicum,ſuperbiam:amicorum neglectio, improbitatem coarguit : nimirúm hæc cauſſa eſt ejuſmodi,quam nec induſtrius, nec miſericors, nec officioſus deſerere poſſit.

QUARTUS MODUS *connexus.*

Quartus modus connexus aſſumit conſequens,& concludit antecedens: ut Terentius in Heautontimorumeno cõcludit in ſermone Cliniæ & Clitiphonis:

Si nihil mali eſſet,jam hic adeſſent:
At jam aderunt:
Nihil igitur eſt mali.

Aſſumptio exornatur circunſtantiis loci & perſonarum: Sermo ſic eſt:

Clin. Si nil mali eſſet,jam hic adeſſent. Clit. Jam aderunt. Clin. Quando iſtuc erit?
Clit.Non cogitas hinc longiús abeße? & noſtin' mores mulierum?
Dum moliũtur,dum comuntur,annus eſt. Clin. O Clitipho,
Timeo. Clit. Reſpira: ecce Dromonem cum Syro unâ adſunt tibi.
Sy. Ain' tu? Dro. Sic eſt.Sy. Verúm interea dum ſermones cædimus,
Illæ ſunt relictæ. Clit. Mulier tibi adeſt,audin' Clinia?

Clin. Ego veró audio nunc demum, & video, & valeo, Clitipho.

Hic modus rariſſimus eſt omnium, eſt tamen naturalis & uſitatus & firmus & conſtans : nec unquam é veris antecedentibus falſum concludit, ſi ſpecies affirmationis & negationis in hac diſpoſitione teneatur: quæ fides & cõſtantia ſyllogiſmi, eſt ipſius definitione comprehenſa.

SYLLOGISMUS SIMPLEX *é partibus connexis.*

Aliquando ſyllogiſmus connexus videtur, quia propoſitio connexio eſt: verúm ſi diſpoſitio ſimplex fuerit, ſyllogiſmus etiã ſimplex erit: ut,

Si quid optatum redierit, gratum eſt:
Leſbia Catullo optata rediit:
Grata igitur.

Catullus ſic concludit in prima ſimplici ſpecie, propoſitione tamen connexa:

Si quicquã cupidoque optãtique obtigit unquã, et
Inſpiranti, hoc eſt gratum animo proprié.
Quare hoc eſt gratum, nobis quoque charius auro,
Quód te reſtituis Leſbia, mi cupido.
Reſtituis cupido, atque inſperanti ipſa refers te
Nobis: o lucem candidiore nota!
Quis me uno vivit felicior? aut magis hac quid
Optandum vita, dicere quis poterit?

Sic Terentius in Eunucho concludit & judicat propoſitione relata, & tamen ſimpliciter:

Quod

Quod consilio caret, id consilio regi non potest:
Amor consilio caret:
Consilio itaque regi non potest.

Syllogismus his verbis sequitur:

Here, quæ res in se neque consilium, neque modum
Habet ullum, eam consilio regere non potes:
In amore omnia hæc insunt vitia, injuriæ,
Suspiciones, inimicitiæ, induciæ,
Bellum, pax rursum: incerta hæc si tu postules
Ratione certa facere, nihilo plus agas,
Quám si des operam, ut cum ratione insanias.

Potest similiter in secunda specie simplici cõcludi: ut,

Si quicquam homo est, animal est:
Lapis non est animal:
Lapis igitur non est homo.

Item:

Quod homo est, id animal est.
Lapis non est animal:
Lapis igitur non est homo.

Quinetiam syllogismus ex omnibus connexis partibus potest simpliciter concludi: ut,

Si honestum est, laudabile est:
Si justum est, honestum est:
Itaque si justum est, laudabile est.

Prima species est simplex. Iterum,

Si honestum est, laudabile est:
Si injustum est, non est laudabile:
Itaque si injustum est, non est honestum.

Secunda species est simplex. Eodem modo ex

omnibus relatis partibus concludi poteſt, quomodo Cicero concludit ſecundo Officiorum; Summa quidem authoritate philoſophi, ſeveré ſané atque honeſté hæc tria genera confuſa, cogitatione diſtinguunt: Quicquid enim juſtum ſit, id etiam utile eſſe cenſent: itemque, quod honeſtum, idem juſtum: Ex quo efficitur, ut quicquid honeſtum ſit, idem ſit utile.

Species eſt ſimplex prima. Similiter,

Quicquid honeſtum eſt, id laudabile eſt:
Nihil quod injuſtum ſit, laudabile eſt:
Nihil itaque quod injuſtum ſit, honeſtum eſt.

Species eſt ſimplex ſecunda.

Syllogiſmus compoſitus] Dictum eſt hactenus de ſyllogiſmo ſimplici: compoſitus deinceps explicandus nobis eſt: qui nomen hoc invenit á cõpoſita & affirmata propoſitione argumenti cum utraque parte quæſtionis: In hoc enim genere, propoſitio ſemper affirmatur, ſecús nil poſſet é negata, catholicé concludi, & ſemper habet argumentum diſpoſitum cum utraque parte quæſtionis: quod quidem ſyllogiſmo ſimplici nunquam accidit. Nec veró prætereundum illud eſt, eandẽ quæſtionẽ utroque genere ſyllogiſmi poſſe concludi: idemq; argumentum modó ſimpliciter, modó cõpoſité diſponi: ut,

Omne laudabile eſt honeſtum:
Omne bonum eſt laudabile:
Omne igitur bonum, eſt honeſtum.

Syllogiſmus hic ſimplex eſt, qui ex eodem argumento & quæſtione in conjunctum mutatur, hoc modo:

Si omne bonum eſt laudabile, omne bonum eſt honeſtum:
At omne bonum eſt laudabile:
Omne igitur bonum eſt honeſtum:

Itaque licet ſyllogiſmum ſimplicem in compoſitum, viciſſimque compoſitum in ſimplicem convertere. Ac

nę

ne quis existimet syllogismum compositum dici ab enuntiationibus compositis, fieri potest, ut ex compositis omnibus partibus syllogismus simplex existat: ut,

Si animal est, substantia est:
Si homo est, animal est:
Ergo si homo est, substantia est.

Partes omnes sunt enuntiationes compositæ, & tamen argumentum simpliciter dispositum, id est, separatim cum singulis partibus quæstionis. Syllogismum compositum Boëtius vocat ὑποθετικὸν, recentiores Peripateticos imitatus: Sed alia est ratio ejus nominis apud Aristotelem: nam in prioribus Analyticis syllogismum ἐξ ὑποθέσεως definit, qui componitur ex confessis quidem partibus, quanvis falsæ & incertæ suapte natura esse possint: ut finge omne animal spirare & omnem piscem in aquis degentem, esse animal, consequens erit omnem piscem in aquis spirare: idque ex hypothesi, quæ cadit in syllogismum simplicem, non compositum. Quare syllogismus compositus definiendus est á composita dispositione argumenti cum utraque parte quæstionis, non autem ab enuntiatis compositis. Aristoteles capite vicesimoquarto libri primi priorum Analyticorum, syllogismum, nisi simplicem, nullum esse docet, sive ἁπλοῦν sit, sive ἐξ ὑποθέσεως: omnemque syllogismum fieri existimat per tres figuras, quas exposuit: interdum tamen in prioribus Analyticis & in Topicis, syllogismi compositi leges aliquas ostendit, sed imprudens & velut aliud agens, nec intelligens, se syllogismũ docere, sed genus aliquod argumẽti tradere, ut mox intelligetur. Theophrastus verò & Eudemus, Aristotelis discipuli, esse aliquem syllogismum compositum primi cognoverunt, & in quandam disciplinæ formam descripserunt, quám deinceps á Stoicis auctam & amplificatam fuisse Laërtius & Boëtius authores sunt.

Syllogismus] Syllogismi compositi species duæ sunt, syllogismus connexus & disjunctus: qui ut natura & ratione, sic arte & præceptis separantur & distinguuntur:

Atque his duobus generibus, omnis ratio argumenti compositè disponendi continetur, nec ulla præterea alia inveniri aut tradi ab homine dialectico potest.

Syllogismus connexus] Syllogismus connexus definitur primùm ex genere, syllogismus compositus: deinde ex formali differentia, cujus propositio est connexa: hac enim nota differt á syllogismo disjuncto. Porrò syllogismus connexus ab Aristotelis interpretibus appellatur συλλογισμὸς ὁ ἐξ ἀκολουθίας, syllogismus ex consecutione. καὶ τὴν ἀκολουθίαν κατασκευάζων, consecutionem constituens: cujus quatuor modi notantur, & ex antecessionis & consecutionis varia affectione distinguuntur: primus appellatur ab antecedentibus, secundus á consequentibus: sed apud Aristotelem secundi Topici capite secundo hæc nomina sunt argumenti, non argumentationis: verba illius sunt: σκοπεῖν δὲ ἐφ' ἑκάστῳ τῷ προκειμένῳ, τίνος ὄντος ἀναγκαῖον τὸ προκείμενον εἶναι, ἢ τί ἐστιν ἐξ ἀνάγκης· κατασκευάζειν μὲν οὖν βουλομένῳ τίνος ὄντος τὸ προκείμενον ἐξ ἀνάγκης· ἐὰν γὰρ ἐκεῖνο, δῆλον ὅτι ὑπάρχον, καὶ τὸ προκείμενον δεδειγμένον ἔσται· ἀνασκευάζειν δὲ βουλομένῳ, τί ἐστιν εἰ τὸ προκείμενόν ἐστιν· ἐὰν γὰρ δείξωμεν τὸ ἀκόλουθον τῷ προκειμένῳ μὴ ὄν, ἀνῃρηκότες ἐσόμεθα τὸ προκείμενον. Videndum etiam est, cui res proposita adjuncta sit, aut quid necessariò, si res posita sit, una secum esse velit: at is quidem, qui confirmare volet, cui res proposita adjũcta sit, videbit: quoniam si rem illam doceat, esse rem quoque propositam demonstrabit: qui autem volet refellere, considerabit quid propositæ rei adjunctum sit: nam si consequens rei propositæ non esse ostenderimus, rem quoque propositam non esse docebimus. Hic Aristoteles duos modos connexos indicat, sed eos argumentorum nomine cõprehendit, syllogismos autem esse non existimat.

Primus modus] In enuntiato connexo duæ sunt partes, quarum prior dicitur antecedens, posterior consequẽs. Cùm igitur assumptio retinet antecedentem partẽ connexionis, id est affirmat, si affirmata fuerat: aut negat, si negata fuerat: complexio autem retinet consequentem

tem partem ejuſdem propoſitæ connexionis, tum primus modus connexus efficitur: ut,

Si homo eſt rationalis, Dialecticus eſt:
Sed homo eſt rationalis:
Homo igitur Dialecticus eſt. vel,

Si homo non eſt irrationalis, beſtia non eſt:
Sed homo non eſt irrationalis:
Homo igitur, beſtia non eſt.

Illic antecedentis & conſequentis affirmatio, hic negatio utriuſque retinetur. *Quomodo*] Cicero ex Stoicorum ſententia, concludit eſſe aliquam divinationem & præſagitionem rerum futurarum: argumentum eſt á cauſſis, id eſt diis, qui divinationem noſtris animis impertiuntur. *Sic Aeneidos*] Dido precatur Aeneam, ut in Libya ſecum remaneat: argumentum eſt varium primis tribus verſibus feré comprehenſum, deinde iteratum á factis, id eſt benemeritis in ipſum Aeneam: Propoſitio ſyllogiſmi tribus ſecnndis verſibus continetur: aſſumptio eſt in tribus proximis, complexio eſt in ultimo verſu. *Aliquando non aſſumitur*] Cúm plus aſſumitur, quám erat in antecedente parte connexionis poſitum, ſyllogiſmus nihilominús conſtans eſt, quia in tali amplificatione majus ipſum continet in ſe vim minoris: ut cúm Cicero Catilinam hortatur, ut exeat ex urbe, hoc modo argumentatur:

Si te parentes tui odiſſent & timerent, ab his ſecederes:
At patria tua te metuit & odit:
Quantó magis igiur tibi á patria ſecedendum eſt?

Hic plus aſſumpſit, quám in priore parte quæſtionis propoſitum erat: Nam authoritas patriæ, & Reip. major eſt, quám parentum; & tamen appellatur primus modus connexus, ob eam cauſſam, quam diximus. *Concludendi modus*] Connexus ſyllogiſmus conſtat ex propoſitione connexa, vel ex ea, quæ vim habet connexionis: qualis eſt interdum propoſitio relata: unde illud Ovidianum:

Cùm Paris Oenonem deſeret, Xanthus fluvius ad ſuũ fontem refluet:
Sed Paris Oenonem deſerit:
Xanthus igitur ad ſuum fontem refluet.

Propoſitio eſt in primo diſticho, & habet ſententiam connexionis, perinde ac ſi dicas:

Si Paris deſeret Oenonem, Xanthus ad ſuum fontem refluet:

Aſſumptio ſpectatur in quarto verſu, complexio in tertio. *Secundus modus*] Secundus modus connexus aſſumit contradictionem conſequentis, & concludit contradictionem antecedentis: contradictionem verò intellige propriam aut ſpecialem: ut,

Si Plato fuit indoctus, non eſt rectè philoſophatus:
Sed Plato rectè philoſophatus eſt:
Non fuit igitur indoctus Plato.

Et, *Si omnis exercitatio utilis eſt, nullus ludus fugiendus:*
Sed aliquis ludus eſt fugiendus:
Aliqua igitur exercitatio non eſt utilis.

In contradictione autem generali captioſè concluderetur: ut,

Si omne animal eſt, omnis homo eſt:
Sed nullus homo eſt:
Ergo nullum animal eſt:

Syllogiſmus eſt inconſequens, quia veris antecedentibus, falſum poteſt concludere: Atque hic ſecundus modus tam diſſimilis eſt primo, ut cùm illic pars antecedens propoſitionis, ſit argumentum, & conſequens, quæſtio: hic contrà conſequens, argumentum, & antecedẽs, quæſtio ponatur. Ariſtoteles capite tertio Topici ſecundi comprehendit hunc ſecundum modum nomine τῆς κατὰ τὴν ἀντίφασιν ἀκολουθήσεως, converſæ ſecundum cõtradictionem conſequentiæ: λαμβάνειν δὲ ἐξ ἐπαγωγῆς. οἷον· εἰ ὁ ἄνθρωπος, ζῷον, τὸ μὴ ζῷον, οὐκ ἄνθρωπος· ὁμοίως δὲ καὶ ἐπὶ τῶν ἄλλων· ἐνταῦθα γὰρ ἀνάπαλιν ἡ ἀκολούθησις· τῷ μὲν γὰρ ἀνθρώπῳ τὸ ζῷον ἕπεται· τῷ δὲ μὴ ἀνθρώπῳ,

ἀνθρώπῳ, τὸ μὴ ζῶον, οὐκ, ἀλλ' ἀνάπαλιν τῷ μὴ ζώῳ, τὸ, οὐκ ἄνθρωπος· ἐπὶ πάντων οὖν τὸ τοιοῦτον ἀξιωτέον· εἶον, εἰ τὸ καλὸν, ἡδύ· καὶ τὸ μὴ ἡδύ, οὐ καλόν· εἰ δὲ μὴ τοῦτο, οὐδ' ἐκεῖνο· ὁμοίως δὲ καὶ εἰ τὸ μὴ ἡδύ, οὐ καλὸν, τὸ καλὸν, ἡδύ. δῆλον οὖν ὅτι πρὸς ἄμφω ἀντιστρέφει ἡ κατὰ τὴν ἀντίφασιν ἀκολούθησις ἀνάπαλιν μενοῦσα. Utendū eſt inductione hoc modo: Si homo animal: nō anima, lnō homo: itēque in cæteris: hoc enim loco viciſſim retró commeat cōſequentia: nam hominē quidem animal ſequitur: at verò non hominem, non ſequitur non animal, ſed contrá non homo ſequitur nō animal. In omnibus igitur tale exiſtimandum eſt: ut ſi bonum, ſuave: non ſuave, non bonum: Sin autem non hoc, neque illud: Item ſi non ſuave, non bonum, bonum, ſuave. Peſpicuum eſt igitur conſequentiam reciprocari, quæ ſecundum contradictionem retró agitur. Sed Ariſtoteles, ut anté dixi, formam aliquam ſyllogiſmi eſſe non animadvertit: ſed in hoc diſputandi genere, argumentum putat eſſe á contradicentibus: argumentationem etiam eſſe non cogitat, nec docet.

Cicero in Lucullo] Cicero confirmat Academicam ἐποχὴν id eſt retentionem & cohibitionem aſſenſionis, é ſpecie: opinio enim, ſpecies eſt aſſenſionis, ut etiam ſcientia: nec ideo propoſitio vera eſt: Nam poteſt ad ſcientiam aſſenſio ſapientis adjungi, non ad opinionē: argumentatio tamen conſtans eſt, ſed propoſitio falſa: ut ſi diceres,

Si animal eſt, homo eſt:
Sed non eſt homo:
Ergo non eſt animal.

Propoſitio falſa eſt, conſtans tamen & firma concluſio. *Eodem ſyllogiſmo*] Ovidius negat ſe eſſe bene conſultum, á ſuis factis, quia colit muſas, á quibus lædituꝛ: Syllogiſmus eſt hujuſmodi:

Si ſaperem, odiſſem muſas:
Sed non odi muſas:
Non igitur ſapio.

Propoſitio eſt in primo diſticho, aſſumptio in quarto

verſu, complexio in tertio. *Interdum*] Aliquando conſequens propoſitionis nominatim non tollitur, ſed re tamen & ſenſu tollitur: Nam aſſumitur aliquod diſſentaneum, quod vim parem cotradictioni obtinet: ut in ſecunda hypotheſi propoſiti exempli, aſſumitur oppoſitum conſequentis, videlicet, conſervator eſt Brutus: Itemque oppoſitum anteçedentis concluditur, videlicet, hoſtis Antonius: hoc enim repugnat parti antecedenti connexæ propoſitionis. *Hæ ſyllogiſtici*] Duo modi connexi uſum maximum habent in communi ſermonis conſuetudine, multoque frequentius occurrunt, quám reliquorum generum ſyllogiſmi, tum quia nullũ feré genus ſit argumenti, quod non apté tractari his duobus modis poſſe videatur, tum quód pleraque argumenta, quæ ſyllogiſmos ſimplices fugiunt, faciliús hac commoda diſpoſitione explicantur: ut comparationes parium, majorum, minorum, ſimilium & diſſimiliũ: notatio & conjugatio, & alia permulta: Illud autem cõmuniter de duobus connexis annotandum eſt, nec antecedens, nec conſequens interdum nominatim retineri, aut tolli, ſed brevitatis cauſſa in aſſumptione & conplexione ad retinendum vel tollendum formulas quaſdam adhiberi: cujuſmodi ſunt, Hoc autem, illud igitur: vel, Primum verum, verum igitur & poſtremum: vel, Non illud, neque hoc igitur: vel, Secundum falſum, igitur & primum. Quales ſyllogiſmos Stoici λεκτικόπους appellabant, ut ait Diogenes in vita Zenonis: & Cicero in Officiis ita diſputat: Idipſum ſi ita eſt, certé violare alterum lege naturæ prohibemur: verum autem primum: verum igitur & extremum. Ariſtoteles autẽ duos primos modos connexos præceptis celebravit, licet ſe ſyllogiſmos tales, vel facere, vel docere neſciret: in Ethicis quidem & phyſicis diſputationibus frequenter ita argumentatur: in Organo autem logico interdum leges ejuſmodi concluſionum proponit, naturali lumine judicii fretus: ſed in Topica invẽtionis arte rem turbat. Protulimus antea locos duos ex Topico ſecundo:

in

in prioribus Analyticis capite ſecundo libri ſecundi, uterque modus connexus proponitur: Primus his verbis: εἰ οὖν ἀληθὲς ἐστὶ τὸ α, ἀνάγκη καὶ τὸ β ἀληθὲς εἶναι, ἢ συμβήσεται τὸ αὐτὸ ἅμα εἶναί τε καὶ μὴ εἶναι· τοῦτο δὲ ἀδύνατον. Si igitur verum eſt α, neceſſe eſt β verum eſſe, aut accidet idem ſimul eſſe & nō eſſe: id autem fieri nequit. Aſſumptio & concluſio præceſſerunt. Secundus ſic: εἰ γὰρ τοῦ α ὄντος ἀνάγκη τὸ β εἶναι, τοῦ δὲ μὴ ὄντος, ἀνάγκη τὸ α μὴ εἶναι. Si enim cúm α ſit, neceſſe eſt β eſſe, cúm δ non fuerit, neceſſe eſt α non eſſe. Secundi modi connexi ratio additur capite quarto ejuſdem libri: αἴτιον δὲ, ὅτι ὅταν δύο ἔχωσι πρὸς ἄλληλα, ὥστε θατέρου ὄντος, ἐξ ἀνάγκης θάτερον εἶναι. τούτου μὴ ὄντος μηδὲ θάτερον ἔσται ὄντος δὲ, οὐκ ἀνάγκη εἶναι θάτερον τοῦ δ' αὐτοῦ ὄντος, ἀδύνατον ἐξ ἀνάγκης εἶναι τὸ αὐτό. Cauſſa verò eſt, quoniam cúm duo ſic ſe habeant inter ſe, ut ſi ſit alterū, neceſſe ſit alterum eſſe: cúm hoc quidem non ſit, nec erit alterum: ſi verò ſit, non neceſſe eſt eſſe alterum: at cúm idem ſit, & non ſit, impoſſibile eſt ex neceſſitate eſſe idem. Quo certé loco, dum Ariſtoteles probare vult omnes ſyllogiſmos eſſe firmos & cōſtantes, imprudens incidit in ſyllogiſmos connexos, & per eos rem propoſitam diſceptat atque dijudicat: ut,

Si ex antecedente ſyllogiſmi, conſequens ſequitur neceſſariò, antecedente vero, conſequens quoque verum erit:
Sed ex antecedente conſequens neceſſariò ſequitur:
Quare antecedente vero, conſequens erit quoque verum.

Duo præterea] Theophraſtus & Eudemus dicuntur inventores eſſe & principes tertii & quarti modorum cōnexorum, quos Boëtius ita deſcribit, ut eos non ex cōplexione quidem, ſed ex natura tantúm terminorum neceſſarios eſſe dicat: attamen ſi connexionis pars antecedens negata fuerit, & cōſequens affirmata, in utroque genere firmi & conſtantes erunt ſyllogiſmi: nec unquam committent, ut antecedentibus veris & conceſſis, complexio falſa ſequi atque induci poſſit: Itaque in his modis conſtantia concluſionis, ex diſpoſitionis genere efficitur, non ex rerum cohærentia & ratione:

quoties enim ad hanc præscriptionis formulam syllogismus descriptus fuerit, nunquam fallet: secus ἀσυλλόγιστος erit & fallax: ut,

Si arbor esset equus, viveret:
Sed arbor non est equus:
Non igitur arbor vivit.

Propositio & assumptio sunt veræ, & complexio falsa: quod est contra catholicam regulam syllogismi: error autem accidit ex enuntiato connexo, cujus pars antecedens non est negata, sed affirmata. Quare ex eo vestigio nihil constanter concluditur: Item,

Si arbor esset equus, viveret:
Sed arbor vivit:
Arbor igitur est equus.

Veris antecedentibus, conclusio est falsa, & eadem erroris ratio redditur, quia connexionis prima pars negata non est. *Itaque tertius*] Tertius modus ita definiendus est, ut syllogismus connexus sit removens in assumptione antecedens propositionis negatum, ut in complexione tollat consequens ibidem affirmatum: quomodo concluditur oratio Veneris ad Jovem decimo Aeneidos:

Si Trojani bona tua pace in Italiam non venerunt, luant pœnas:
At bona tua pace venerunt:
Ne luant igitur pœnas.

In connexione antecedens negatur & consequens affirmatur: assumptio autem arripit contradictionem antecedentis, & complexio contradictionẽ consequentis: itaque exemplum, regulæ convenit. *Sic Cicero*] Cicero confirmat justum esse officium suæ defensionis pro Muræna: propositio parte antecedente negatur, & consequente affirmatur:

Si neque iners, neque superbus, neque inhumanus essem, libenter desinerem Muræna defendere:

Deinde assumptio tollit antecedentem partem:

Sed iners & superbus & inhumanus essem:

Et

Et complexio tollit conſequentem:

Quare non deſinam Murænam defendere.

Quartus modus] In hoc quarto modo obſervabis etiam, ut propoſitionis antecedens negetur, conſequēs affirmetur: Quo genere Terentius ex ſermone Cliniæ & Clitiphonis ratiocinationem concludit: Ait igitur Clinia:

Si nil mali eſſet, jam hic adeſſent:
Jam aderunt, inquit Clitipho:

Concludit tandem Clinia:

Nil igitur eſt mali.

Propoſitio iiſdem verbis ponitur, aſſumptio exornatur adjunctis loci & perſonarum, quód mulieres longé abſint & quód multum tempus, dum ornantur, abſumant. *Aliquando ſyllogiſmus*] Admonitio eſt de connexa propoſitione, quæ interdum efficit ſyllogiſmum ſimplicem non compoſitum: quia illic tantúm argumentum ſimpliciter cum ſingulis partibus & ſeparatim diſponitur, non compoſité: ut in exemplo Catulli, in quo prædicat Leſbiam ſibi amicam gratam contigiſſe: argumentum eſt á cauſſis, & ſyllogiſmus ſimplex primæ figuræ preſſiús concluditur, hoc modo:

Si quid optatum rediit, gratum eſt:
Leſbia Catullo optata rediit:
Leſbia igitur grata eſt.

Propoſitio connexa eſt in primo diſticho, aſſumptio & complexio ſimul ſunt in reliquis. *Sic Terentius*] Alterum exemplum adhibetur de propoſitione relata, ex qua tamē fit ſimplex ſyllogiſmus ſecūdi modi primæ figuræ: Sic enim Parmeno ſervus ratiocinatur nullum amorem conſilio regi poſſe, ab adjunctis amoris, quia ſit cæcus & expers conſilii: propoſitio relata præcedit:

Here, quæ res in ſe neque conſilium, neque modum habet ullum, eam conſilio regere non potes.

Aſſumptio incipit á verſu, *In amore hæc omnia inſunt vitia*: & declaratur ab adjunctis amoris: Complexio ad extremum eſt, & augetur cōparatione parium. *Poteſt*]

Tertium exemplum eſt de ſecunda ſimplici figura; ubi tamen propoſitio connexa eſt: Nam argumentum, animal, ſimpliciter diſponitur, & utrãque partẽ quæſtionis conſequitur: quod propriũ eſt ſecundæ ſimplicis figuræ. *Quinctiam*] Quartum exemplum de omnibus partibus connexis: ubi tamen ſyllogiſmus ſimplex exiſtit: Nam argumentum, honeſtũ, ſimpliciter diſponitur cum partibus quæſtionis, & ad normam primæ ſimplicis figuræ diſponitur. *Item*] Quintum exemplum ex omnibus connexis enuntiatis, refertur ad ſecundam ſimplicem figuram, quia argumentum, laudabile, ſequitur utranque partem quæſtionis. *Eodem modo*] Sextum exemplum docet, ex omnibus relatis ſimplicem ſyllogiſmum fieri primæ figuræ, quia argumentum, juſtum, majorem partem quæſtionis in propoſitione præcedit, & minorẽ ſequitur in aſſumptione. *Similiter*] Septimum exemplum ex omnibus relatis explicat ſecundam figuram ſimplicem: argumentum ſiquidem, laudabile, utranque patem quæſtionis cõſequitur. Tales itaque ſyllogiſmos Theophraſtus docuit ſimplicibus ἀναλογεῖν, id eſt certa proportione reſpondere, ut interpretes Ariſtotelis ajũt, qui eos vocant modó δι' ὅλου, per totum, modó διὰ τριῶν, per tria, quód ex omnibus partibus conjunctis conſtãt, quæ ſunt numero tres.

SYLLOGISMUS DISJUNCTUS primus.

Syllogiſmus diſjunctus eſt ſyllogiſmus compoſitus é propoſitione diſjuncta: Cujus duo modi ſunt. Primus modus diſjunctus, omnibus partibus affirmatus, aſſumit unum & reliqui contradictionem concludit: ut,

Dies eſt aut nox eſt:
At dies eſt:

Nox

Nox igitur non est.

Sic Juno cum Jove de Turno concludit decimo Æneidos:

—Quid si quod voce gravaris,
Mente dares, atque hæc Turno rata vita maneret?
Nunc manet insontem gravis exitus, aut ego veri
Vana feror: quod ut o potiús formidine falsa
Ludar, & in melius tua, qui potes, orsa reflectas!

Cicero similiter pro Cluentio: Sed cúm esset hæc illi proposita conditio, ut aut justé pieque accusaret, aut acerbé indigneque moreretur, accusare quoquo modo posset, quám illo modo mori maluit. Disjunctio clarior sic erit:

Aut accusandum aut moriendum:
Sed accusandum:
Non igitur moriendum.

Ejusmodi syllogismus efficitur é propositione copulata negata, quæ á Philopono, Aristotelis interprete, negata complexio dicitur:

Non & dies & nox est:
At dies est:
Non igitur nox est.

SECUNDUS MODUS DISJUNCTUS.

Secundus modus disjunctus assumit contradictionem unius & reliquum concludit: ut,

Brutus & Cassius sunt libertatis defensores, aut parricidæ:
Non autem parricidæ:
Defensores igitur libertatis.

Cicero ſecunda Philippica judicat hoc ſyllogiſmo Brutũ & Caſſium defenſores eſſe Reip. Nunquamne intelliges tibi ſtatuendum eſſe, utrum illi, qui iſtam rem geſſerunt, homicidæ ſint, an vindices libertatis? Attende enim pauliſper, cogitationemque ſobrii hominis ad punctum temporis ſuſcipe: & ego, qui ſum illorum, ut ipſe fateor, familiaris: ut á te arguor, ſocius, nego quicquam eſſe medium: confiteor illos, niſi liberatores populi Rom. conſervatoreſque Reip. ſint, plus quám ſicarios, plus quám homicidas, plus quám parricidas eſſe: ſiquidem eſt atrocius patriæ parentem, quám ſuum occidere. Tu homo ſapiens & conſiderate, quid dicis? Si parricidæ, cur honoris cauſſa á te ſunt & in hoc ordine, & apud populum Ro. ſemper appellati? cur M. Brutus te referente, legibus eſt ſolutus, ſi ab Urbe plus quám decem dies abfuiſſet? cur ludi Apollinares incredibili M. Bruti honore celebrati? cur provinciæ Caſſio & Bruto datæ? cur Quæſtores additi? cur Legatorum numerus actus? Atque hæc aucta per te: Nõ igitur homicidæ: Sequitur ut liberatores tuo judicio ſint, quandoquidem tertium nil poteſt eſſe. Partes diſjunctæ propoſitionis poſſunt eſſe duabus plures, & tamen judicandi concludendique ars erit eadem: Sic Cicero judicat Rabirium cum Coſs. eſſe oportere: Atqui videmus, ait, hæc in rerum natura tria fuiſſe, ut aut cum Saturnino eſſet, aut cum bonis, aut lateret: latere autem, mortis erat inſtar

inſtar turpiſſimæ: cum Saturnino eſſe, furoris & ſceleris: virtus & honeſtas & pudor cum Coſs. eſſe cogebat.

Supereſt] Diſjunctus ſyllogiſmus deinceps definitur ex genere, compoſitus nempe ſyllogiſmus, & formali differentia, cujus videlicet propoſitio eſt enuntiatum diſjunctum: quod ſi neceſſariò verum eſt, conſtat ex diſſentaneis medio carentibus, ut docuimus in arte diſjunctionum: ſecús, probabile tantúm fuerit, aut verum ex hypotheſi. *Cujus modi*] Genera duo ſyllogiſmi diſjuncti ab Ariſtotele notantur, capite ſecundo ſecundi Topici: ſed ita notantur, quaſi topicæ artis genera ſint, non criticæ & ſyllogiſticæ: ὅσοις δὲ ἀνάγκη μόνον θάτερον ὑπάρχειν ἢ οὐχ ὑπάρχειν, οἷον τῷ ἀνθρώπῳ τὴν νόσον ἢ τὴν ὑγίειαν, ἐὰν πρὸς θάτερον εὐπορῶμεν διαλέγεσθαι, ὅτι ὑπάρχει ἢ οὐχ ὑπάρχει, καὶ πρὸς τὸ λοιπὸν εὐπορήσομεν· τοῦτο δὲ ἀντιστρέφει πρὸς ἄμφω· Quibuſcunque verò neceſſe eſt ſolum alterum ineſſe aut non ineſſe, ut homini morbum aut ſanitatem: ſi ad alterum facilé diſſerere valeamus, quód inſit aut non inſit, ad reliquum quoque facilé valebimus: id verò convertitur ad utrũque. *Primus modus*] Primus modus diſjunctus poſtulat, ut pars diſjunctionis in aſſumptione retineatur, & reliqua in complexione tollatur: De hac autem retẽtionis & remotionis formula, ſic Ariſtoteles præcipit ſecundi Topici capite ſecundo: λείξαντες μὲν γὰρ ὅτι ὑπάρχει θάτερον, τὸ λοιπὸν ἀθετοῦντες ἰσόμεθα ὅτι οὐχ ὑπάρχει· Nam ſi docuerimus alterum ineſſe, decebimus reliquum non ineſſe: ut,

Aut dies eſt, aut nox eſt:
Dies autem eſt:
Non igitur nox eſt.

Juno] Juno petit á Jove ut Turnum conſervet: Summa petitionis eſt in duobus primis verſibus. Res autem breviùs ita concluditur:

Aut periculum impendet Turno, aut ego fallor:
At ego fallor:

Periculum igitur non impendet Turno.

Hic retinetur conſequens, & antecedens tollitur: nec enim intereſt, utrum retineas aut tollas ad conſtanter & legitimè concludendum: ad veritatem quidem fortaſſe intereſt. Propoſitio diſjuncta exprimitur tertio verſu, aſſumptio quarto, complexio quinto. *Cicero*] Cicero purgat Cluentium, quòd Oppianicum vitricum ſuum accuſaſſet veneficii: Diſjunctio vera eſt ex hypotheſi, cujus prior pars retinetur, & poſterior tollitur, poſita contradictione illius.

Ejuſmodi] Primum diſjunctum medium copulatio negans imitatur, quam Philoponus interpres Ariſtotelis, capite viceſimo ſecundo libri primi priorum Analyticorum appellat ἀποφατικὴν συμπλοκὴν, negantem complexionem: quæ ſi vera eſt, indicat partes ſimul veras eſſe non poſſe: quare ſi unam retineas, altera rectè tolletur: ut,

Non & albus homo eſt & niger:
Eſt autem homo albus:
Non igitur niger.

At ſi in hujuſcemodi negantia tollatur unum, ut reliquum retineas, ἀσυλλόγιστον erit, & vitioſè cõcluſum: ut,

Non & albus homo eſt, & niger:
Non eſt autem albus:
Eſt igitur niger.

Syllogiſmus eſt inconſequens, quia antecedentibus veris complexio falſa efficitur: & quanvis in cõtrariis, quæ medio carent, hic error non appareat, id tamen fit non ratione diſpoſitionis, ſed propter naturam contrariorum immediatorum: quorum ſi unum abſit, alterum protinus adeſſe neceſſe ſit: ut,

Non & dies eſt, & nox eſt:
Non eſt autem dies:
Nox igitur eſt.

Hic ſyllogiſmus non eſt cõſtans: quia in aliis exemplis, ſi talem diſpoſitionem ſequare, interdum errabis, ut anté docuimus. Cicero tamen in Topicis hunc modum

dum probat. Septimus, ait, modus:

Non & hoc & illud:
Non autem hoc:
Illud igitur.

Sed Cicero fallitur, ut exemplo constat:

Equus non & homo est, & lapis:
Equus autem non est homo:
Equus igitur est lapis.

Antecedentibus partibus veris, complexio falsa efficitur, quod est ἀσυλλόγιστον & inconsequens. *Secundus modus*] Secundus modus tollit unum, ut retineat reliquum: & ab Aristotele secundo Topico ita definitur: ἐὰν μὴ ὅτι οὐχ ὑπάρχει ἀφέλωμεν, τὸ λοιπὸν ὅτι ὑπάρχει ἀναιρήσομεν. Si verò non inesse ostenderimus, reliquum inesse ostendemus. Argumentum Ciceronis de Cassio & Bruto ducitur á repugnantibus: propositio syllogismi præcedit:

Cæsaris interfectores, sunt aut parricidæ, aut vindices libertatis.

Deinde assumptio tollit priorem partem disjunctionis, hoc modo:

Cæsaris interfectores non sunt parricidæ:

Quod probatur testimonio & facto Antonii, populique Romani. Conclusio retinet alteram partem disjunctionis:

Cæsaris igitur interfectores, sunt vindices libertatis.

Partes disjunctæ] In disjuncta enuntiatione si partes duabus plures sint, licebit unam retinere, ut reliquas tollas: ut,

Numerus par est, pariter par tantúm, aut pariter impar tantúm, aut pariter par simul & pariter impar.
Sed quaternarius est par pariter par tantúm:
Non igitur pariter impar tantúm, nec pariter par simul & pariter impar.

Vel contrá plures partes tollere, ut unam retineas: ut,

Duodenarius par est pariter par simul & pariter impar.

Non igitur pariter par tantúm, nec pariter impar tantúm.

Idque duntaxat in utroque modo obſervandum eſt, ut ex diſjuncti enuntiati partibus, quæ in aſſumptione non erunt, hæ in complexionem veniant: aut quæ in aſſumptione erunt, hæ in complexionem ne conjiciantur: ratio autem retinendi & tollendi ad deſcriptã normam accommodetur. Sic diſputat Cicero Rabirium debuiſſe arma capere cum C. Mario & L. Valerio Coſſ. diſjunctio eſt tripartita: & duæ partes in aſſumptione tolluntur, ut tertia retineatur in complexione: qui modus eſt ſecundus diſjunctus. In quibus autem diſjunctis utraque pars contradictionis includitur, licet utroque modo concludere, nec ad tollendam unam non debemus nominatim contradictionem ejus aſſumere: ſed hanc remotionem ſignificamus quibuſdam particulis & formulis loquendi: ut,

Cicero aut fuit eloquens, aut non.

Ad primo modo retinendum, ut reliqui contradictio concludatur, dices,

Sed primum verum:
Falſum igitur ſecundum.

Item, *Sed ſecundum verum:*
Falſum igitur primum.

Item ad ſecundo modo tollendum, ut reliquum concludatur dices,

Non autem illud:
Hoc igitur.

Vel, *Illud autem falſum:*
Hoc igitur verum.

Vel, *Non autem hoc:*
Illud igitur.

Vel, *Poſtremum falſum:*
Verum igitur primum.

Boëtius

Boëtius autem ex Eudemo & Theophraſto hic admonet de comparatione majorum & minorum diſjunctiones fieri, unde tantúm ſecundo modo concluditur: Ut ſi quis ita proponat (ait)

Aut animal eſt aut non homo.
Si igitur animal non ſit, non erit homo, & ſi homo ſit, animal erit:
Sive autem animal ſit, non neceſſe eſt eſſe hominem,
Sive homo non ſit, non neceſſe eſt animal interire.

Et rurſus,

Aut non eſt homo, aut anima eſt:

Si igitur aſſumamus.

Atqui eſt homo:
Erit animal.

Si negemus eſſe animal, non erit homo: Si autem hominem negemus vel animal affirmemus, nihil neceſſarium cadet, hæc Boëtius ad finem ſecundi libri de ſyllogiſmo hypothetico. Quod verum quidem eſt, ſed diſjunctio talis comparationis cõſiderandum neſcio quid habet, cúm videtur utraque pars poſſe ſimul eſſe vera, & Ariſtotelis regulæ de altero retinendo vel tollendo vel retinendo apertiorem concludendi viam demonſtrant.

PERORATIO SYLLOGISMI.

Hæc ars & hoc judicium eſt ſyllogiſmi tum ſimplicis, tum compoſiti, cujus propoſitio ſumi ſolet ex arte aliqua: ut Grammatica, Rhetorica, Logica, Mathematiça, Mechanica, Phyſica, Ethica, Politica, omninoque qualibet arte: Regulæ enim ac leges, quæ primis annis ediſcũtur, non ſolúm prima ſuæ veritatis judicia ſunt, ſed ſunt etiam propoſitiones & fundamenta judiciorum ſyllogiſticorum, quæ poſtea concludimus in ſpecialibus & hinc deductis rebus.

Cúm igitur judicium propoſitionis & aſſumptionis firmum erit, collocatioque earum rectè conſtituta, quæſtio pariter pro vera falſave rectè judicabitur: in ſecundo enim judicio primum ponitur, ex eoque geminum hoc judicium mutuó ſumitur ad illuſtrandam concluſionem: Denique ars ſyllogiſmi nil aliud admonet, quám ut poſita quæſtio ſolvatur é manifeſta veritate duarum partium legitimé diſpoſitarum: Neque eſt hoc judicium ſyllogiſticum proprié, & ſua forma partim neceſſarium, partim opinabile, ſed omnino neceſſarium, atque ut in propoſitione connexa abſoluté vera, ſic in ſyllogiſmo perfecto, conſequens neceſſarió cum antecedente ita conjungitur, ut ſi partes omnes falſæ ſint, attamen concluſio neceſſarió deducatur: Nec verò ſyllogiſmus eſſet, niſi judicaret & cõcluderet neceſſarió: ſecús niſi diſpoſitio partibus omnibus conſtans & certa eſſet, ejuſmodi concluſio, opinio tantúm eſſet, & interdum veris antecedentibus falſa deprehenderetur: quod hic enuntiationis contingentis judicio reſpondet. Perfecti verò ſyllogiſmi uſus valdé rarus eſt: Sæpe enim in oratoribus, poëtis, philoſophis, omnibuſque authoribus uſum naturalem ſequentibus etiamſi quæſtiones ſyllogiſticas tractent, attamen pars aliqua ſyllogiſmi relinquitur: Atque hic ſyllogiſmus imperfectus, appellatur vulgó enthymema, & ſyllogiſmus Rhetoricus. Mens hominis aliás propoſitione ſola

contenta

contenta eſt, aliás aſſumptione: aliás anté complexionem concipit, quám dici exprimive poſſit: quod totum, uſus eſt & prudentiæ, de qua poſtea in methodo pluribus. Attamen hoc ſyllogiſtico judicio retexendo, partes duntaxat intellectæ complendæ ſunt, & ſyllogiſmus eſt abſolvendus. Martialis quinto libro in hoc enthymemate aſſumptionem relinquit:

Si quando leporem mittis mihi Gellia, dicis,
Formoſus ſeptem Marce, diebus eris:
Si non derides, ſi verum lux mea, narras:
Ediſti nunquam Gellia, tu leporem.

Adde aſſumptionem, ſyllogiſmus talis erit:

Si quis edat leporẽ, ſeptem diebus formoſus erit:
Gellia nunquam formoſa fuit:
Gellia igitur nunquam edit leporem.

Cicero in libro de Senectute propoſitionem ſic omittit: Senex nec quod ſperet, habet: at eſt eó meliore conditione, quám adoleſcens, cúm id, quod ille ſperat, hic aſſecutus ſit: ille vult diu vivere, hic diu vixit. Adde propoſitionem generalem, & conclude:

Qui jam aſſecutus eſt, beatior eſt eo, qui ſe aſſecuturum ſperat:
At ſenex aſſecutus eſt longam vitam, quam adoleſcens ſperat:
Itaque ſenex beatior eſt adoleſcente.

Martialis primo libro complexionem omittit:

Amiſſum non flet, cúm ſola eſt Gellia, patrem:
Si quis adeſt, juſſæ proſiliunt lachrymæ:

Non luget, quiſquis laudari Gellia, quærit:
Ille dolet verè, qui ſine teſte dolet.

Verus luctus eſt occultus:
Luctus Gelliæ non eſt occultus:
Luctus igitur Gelliæ non eſt verus.

Sæpe ut in Grammatica partes orationis, ſic in Logica partes ſyllogiſmi, ordine artis diſpoſitæ non ſunt. Nec enim caſus rectus ſemper antecedit, nec verbum conſequitur: ſic neque propoſitio perpetuó prima eſt, neque aſſumptio ſecunda, neque complexio ultima: ſed contrá perſæpe: Attamen ſi qua propterea ſit obſcuritas, in artis locum redigendæ ſunt, ut in exemplis antea citatis fecimus. Atque etiam crebró partes propoſitionis & aſſumptionis exponuntur non duobus verbis, ſed longa circuitione: quin modis variis ornantur: quod proſſyllogiſmus dicitur: ac tum evidentiæ cauſſa, oratio uno verbo comprehendatur, ſi fieri poſſit. Cicero totam Milonis defenſionem ſyllogiſmo uno judicavit & concluſit: at propter longos proſſyllogiſmos partibus interpoſitos, non facilé á quovis id intelligitur: Itaque ſeparatis his proſſyllogiſmis, intereaque capitibus rerum notatis, poteris hoc modo totius ſummam comprehendere:

Inſidiator ſceleratus jure occiditur:

Propoſitio eſt, cujus proſſyllogiſmus ſequitur: Authoritas enim populi & judiciorum, Senatus, Marii, legis naturalis & humanæ id teſtificatur:

ficatur: nec ulla contraria lex eſt, neque Senatus, neque Pompeji. Ejuſmodi eſt proſſyllogiſmus propoſitionis: aſſumptio deinceps eſt:

At Clodius eſt inſidiator ſceleratus:

Tum aſſumptionis proſſyllogiſmus: Miloni enim inſidiatus eſt, motus utilitate, odio, malis moribus, ſpe impunitatis: quod verbis ipſius & factis intellectum eſt: Quod autem ſceleratus fuerit, facta in deos & homines demonſtrant. Ejuſmodi eſt proſſyllogiſmus aſſumptionis, unde concluditur,

Quare Clodius jure occiſus eſt.

Sunt etiam ſua complexioni & quidem longé majora ornamenta: Hoc ſummum eſt tam longæ defenſionis judicium. Quamobrem cúm major aliqua diſputatio retexenda nobis erit, ſi quæſtio, ſit dubia quædam enuntiatio, ſyllogiſmus magnum fructum afferre poterit, docebitque quid conſtanter aut temeré concluſum ſit: quæ vera juſtitiæ libra eſt, dum examinat controverſæ rei æquitatem vel iniquitatem. Denique meminerimus ſyllogiſmum, rationis eſſe legem, quibuſvis vel Lycurgi, vel Solonis legibus veriorem & æquiorem, qua judicium dubiæ enuntiationis ſententia neceſſaria & immutabili conſtituitur: Legem rationis dico propriam hominis, nihil omnino reliquorum animantium communem, ut primum judicium fortaſſe parte aliqua fuerit. Attamen in ſenſibilibus & ad corpus, vitamque corporis dun-

taxat attinentibus, quanvis beſtiis particula quædam ratiocinationis ineſſe videatur, attamẽ hoc judicium nihil aliud eſt, quám naturalis quidã inſtinctus & impetus ad ea perſequendum, quæ ſuæ naturæ conveniant: Ac tametſi Epicurus hominem, pecudum ſimilem efficiens, ſummũ omnium rerum judicium ſenſibus attribuerit, mentique detraxerit, attamen corpus ſenſibus omnibus inſtructum, etiam propitio in hac rerũ cauſſa Epicuro judice, ſyllogiſmum concludere nullum poſſit: nec collatione tertii, & medii diſpoſitione quidquam comprehendere. Et quidem certé hæc judicii ſpecies in homine imago divinitatis quædam eſt. Attamen ut primum judicium, ſic ſecundum frequenter opinionis errore conturbatur & fallitur: Amore enim, odio, metu, cupiditate, cæteriſque fallacibus animi affectionibus, ſæpe quidlibet concludimus potiús, quám ſolido conſtantique ſyllogiſmi judicio. Quamobrem excitandum & cõfirmandum hoc tantum mentis judicium, conſtantiaque & veritate ſyllogiſmi cõcludendum: ſecús concluſio noſtra levitas, error, temeritas erit, non judicium.

Hæc ars] In peroratione primo loco docemur primum judicium de enuntiatione, lumen & fundamentum eſſe ſecundi judicii ſyllogiſtici, illudque petendum eſſe maximé ex variis artibus, unde propoſitiones ſyllogiſmorum, quæ vulgó appellantur Maximæ, deducũtur, ad cognoſcendam & æſtimandam quæſtionem: deinde ſyllogiſmos in hominum ſermone raró perfectos inveniri,

inveniri,ſed enthymemata ſæpe fieri,id eſt ſyllogiſmos truncatos & aliqua parte imminutos: Tertio loco partes ſyllogiſmi non ſemper eſſe diſpoſitas via & ordine artis: quarto partes ſyllogiſmi ſæpe longa circuitione tractari & amplificari, raró brevibus illis tanquam verſiculis aſtringi: ideoque facilioris intelligentiæ gratia longam diſputationem,in brevem ſummam colligi debere: Quinto aliud eſſe judicium enuntiationis, aliud ſyllogiſmi:& quomodo hæc inter ſe tum differant,tum conveniant. *Cujus propoſitio*] Primus locus peroratio-nis explicatur inductione variarum artium, unde propoſitiones ſyllogiſmorum peti ſolent: Sunt enim in ſingulis artibus & diſciplinis axiomata, id eſt enuntiationes generales & ſua natura perſpicuæ,quæ ſyllogiſmis ad illuſtrandam concluſionem, clariſſimum lumen fœnerantur:Ut ſi concludere velis,Deus ſanctus, eſſe orationem congruam:ex arte Grammatica propoſitionem maximam elicies,atque ita judicabis:

Oratio,in qua adjectivum & ſubſtantivum conveniunt in genere,numero & caſu,eſt congrua:
Deus ſanctus,eſt oratio, in qua adjectivum & ſubſtantivum conveniunt in genere,numero & caſu:
Quare,Deus ſanctus, eſt oratio congrua.

Sic metaphoram eſſe in genere troporum,concludes ex definitione tropi,quæ eſt ſua luce evidentiſſima:

Omnis elocutio, qua propria ſignificatio verbi in aliam mutatur,tropus eſt:
Omnis metaphora, eſt elocutio,qua propria verbi ſignificatio in aliam mutatur:
Omnis igitur metaphora,tropus eſt.

Sic in logicis, mathematicis, mechanicis, ethicis, phyſicis,politicis,œconomicis, aliiſque omnibus diſciplinis,catholicæ & generales regulæ ſunt, & indubitatæ,ex quibus ſyllogiſmorum concluſiones probantur & illuſtrantur,quæque non ſolúm per ſe cognoſcũtur, ſed efficiunt,ut dubiæ quæſtiones ſyllogiſmis concluſæ,cognoſcantur & approbentur. Quamobrem quale judiciũ

eſt propoſitionis & aſſumptionis, tale futurum eſt quæſtionis ſyllogiſmo concluſæ: Si partium antecedentium certa ſcientia & præceptio fuerit, cõcluſio ſimiliter pro certa veraque iudicabitur: Si opinio tantúm fuerit, judicium concluſionis, duntaxat erit opinio: Sin utraque dubia & incerta, dubia quoque & incerta erit concluſio, neque ullum tum judicium quæſtionis fiet, ſed adhibetur ἐποχὴ, id eſt aſſentionis retentio & cohibitio.

Neque eſt hoc] Aliud eſt judiciũ de ſingulis partibus ſyllogiſmi, aliud de cohærentia & conſecutione partium: illud ſiquidem aliás neceſſarium eſt, ut in rebus neceſſariis, aliás opinabile, ut in materia contingenti, aliás incertum & nullũ, ut in materia dubia & incerta: Quales enim ſunt res, quæ diſponuntur, tale fit de his judicium: hoc verò, quo diſpoſitio judicatur, ſemper eſt certum & neceſſarium. Nam quoties ſyllogiſmus contexitur ad normam & legẽ Logicæ artis, toties judicare debemus, partes inter ſeſe ea neceſſitate colligatas eſſe & diſpoſitas, ut ſi vel omnes falſæ ſint, cõcluſio tamen neceſſariò deducatur. *Atque ut*] Similitudo adhibetur ad rem planiús explicandam: Quemadmodum connexio dicitur abſolutè vera & neceſſaria, cujus partes inter ſe certa conditione cohærent, ut antecedenti cõſequens neceſſariò connexa ſit (veræ autem an falſæ ſint, nihil ad neceſſitatem connexionis attinet) ita ſyllogiſmum dicimus neceſſarium & conſtantem, quando partes ea lege diſponuntur, ut ex antecedentibus complexio neceſſariò concludatur: partes autem veræ ſint an falſæ, nihil ad rationem diſpoſitionis & conſecutionis intereſt. *Secús*] Syllogiſmus ſi legitimus non eſt, neceſſarius non eſt: Item ſi enthymema eſt, id eſt ſyllogiſmus aliqua parte mutilus & imperfectus, neceſſarius non eſt: Itaque tum judicare non poſſumus certam eſſe & neceſſariam conſecutionem, ſed tantúm probabilem & opinabilem: non ſecús atque accidit in judicio enuntiati contingentis. *Perfecti verò*] Secundus locus perorationis docet ſyllogiſmos in hominum ſermone

mone perfectos raró inveniri: Nec veró id fieri ſemper eſt neceſſe, cúm videlicet propoſitio aut aſſumptio aut complexio clarior eſt, quám ut exprimi debeat: qua ratione pars aliqua ſæpe omittitur, & fit ſyllogiſmus imperfectus, quem vocant enthymema: & Ariſtoteles capite veceſimo ſeptimo libri ſecundi priorum Analyticorum definit his verbis: ἐνθύμημα μὲν οὖν, ὅτι συλλογισμὸς ἀτελὴς ἐξ εἰκότων, ἢ σημείων· Enthymema igitur, eſt ſyllogiſmus imperfectus ex probabilibus aut ſignis: Idemque præcipit ex omni ſyllogiſmo, detractione partis alicujus, enthymema fieri: viciſſimque ex omni enthymemate, adjunctione partis, quæ fuerat omiſſa, ſyllogiſmum perfici: Appellatur quoque ſyllogiſmus Rhetoricus, quia Rhetores perſæpe rem ſubtiliús concludunt, enthymemate deducto á repugnantibus, ut ipſi loquuntur: ubi plerunque ſententia aſſumptionis & cõplexionis incluſa eſt: ut,

Quam nihil accuſas damnas:——

Tantúm valet, ac ſi dicas,

Mulierem non accuſas:
Damnare igitur non debes.

Cui ſi propoſitio addatur, ſyllogiſmus erit perfectus & abſolutus: ut,

Quæ nihil accuſatur, damnanda non eſt.

Martialis] Jocus eſt in Gelliam turpem & deformem: & exemplum enthymematis, quod addita aſſumptione completur in ſecunda ſimplici figura. *Senex*] Cicero probat ſenem eſſe feliciorem adoleſcente, ab adjũctis utriuſque: Enthymema eſt ex complexione & aſſumptione: quibus ſi addatur propoſitio, ſyllogiſmus abſolvetur in prima ſimplici figura. *Martialis primo*] Exemplum eſt enthymematis, ubi complexio deſideratur: qua addita, fit ſyllogiſmus ſimplex ſecundæ figuræ: aſſumptio eſt in primo diſticho: propoſitio in ſecundo. *Atque ut*] Tertius perorationis locus illuſtratur ſimilitudine: Ut in Grammatica partes orationis non ſequuntur perpetuum illum ordinem artis, ſic ut nomi-

nativus ſemper anteceedat, & verbum ſequatur: ita in Logica partes ſyllogiſmi, via & ordine artis ſemper diſpoſitæ non ſunt: & tamen ſi rem propoſitam diligenter æſtimare & dijudicare velis, mens ad trutinam artificioſæ diſpoſitionis revocanda eſt: ut ſi locum illum examines, qui eſt Philippica ſecunda: A me C. Cæſar pecuniam? cur potiús, quàm ego ab illo? an ille ſine me vicit? an ne potuit quidem? Ego ad illum belli civilis cauſſam attuli: ego leges pernicioſas rogavi: ego arma contra Conſules Imperatoreſque populi Ro. contra Senatum P. Q. R. contra deos patrios, araſque & focos: contra patriam tuli: Num ſibi ſoli vicit? Quorum facinus commune, cur non ſit eorum præda communis? In hoc exemplo ſententia ſyllogiſmi perfectè concluſa eſt, ſed complexio præcedit, aſſumptio deinde ſequitur, & propoſitio ultima eſt: Quem ſyllogiſmum ſic ad normam artis revocare poteris:

Quorum facinus eſt commune, eorum præda debet eſſe communis:

Antonii & Cæſaris in bello civili facinus fuit cõmune:

Antonii igitur & Cæſaris præda debuit eſſe communis.

Atque etiam] Quartus locus perorationis admonet ſyllogiſmos in poëtis, oratoribus, philoſophis, cæteriſque doctis hominibus breves & nudos perraró tractari: neque feré tribus tanquam verſiculis ſtrictim & breviter concludi, ſed partibus omnibus exornari, ut clariores & magnificentiores exiſtant: Eſt enim hoc feré excellentibus viris propoſitum, ut ornaté & copioſé dicant, & cum doctrina eloquentiam conjungant: exceptis Stoïcis, qui detracto ornatu & ſplendore dicendi, minutarum concluſiuncularum formulas conſectantur. Cúm autem partes principalis ſyllogiſmi aliis argumentis amplificantur, tranſeunt in quæſtionem & exinde multi ſyllogiſmi intertexuntur, quos Ariſtoteles capite viceſimo ſexto libri primi priorum Analyticorum appellat προσυλλογισμοὺς, id eſt ſyllogiſmos antegreſſos ſyllogiſmum principalem.

Cúm

Cùm evidentiæ] Cúm volumus de ſcriptis orationibus tum noſtris, tum alienis, diligenter & accuratè judicare, tota diſputatio detractis amplificationibus contrahenda eſt, & in ſummam breviorem conferenda. Hoc explicatur oratione Ciceronis pro Milone, ubi principalis ſyllogiſmus demonſtratur, & proſſyllogiſmi ex eo deducti, & in eo comprehenſi. *Denique*] Quintus locus conſtat laude ſyllogiſmi, & collatione minorum declaratur: Leges Lycurgi aut Solonis juſtæ veræque ſunt: at regula ſyllogiſmi ſuperioribus præceptis deſcripta, longé æquior & verior fuerit: quia regula eſt catholica & immutabilis & neceſſaria; regula, inquam, rationis veré aurea, quæ docet quod verum aut falſum ſit, quod veré ſimplici aut conjuncta enuntiatione proferatur, per tertium æſtimare & judicare: Regula item propria hominis, non communis reliquorum animantium: Diſſimilitudo interponitur ad rem explicandam: Judicium enuntiationis, eſt parte aliqua commune homini cum beſtiis, ut accidit in enuntiatis propriis & ſenſilibus: at judicium ſyllogiſticæ concluſionis, totum eſt hominis proprium: Nam ſyllogiſtica ratiocinatio non cadit in beſtias. *Attamen*] Prolepſis eſt de beſtiis, quæ videntur ſyllogiſmo & ratiocinatione uti: ut araneus telam ſubtiliſſimam texit & tendit ad muſcas capiendas: formica æſtate colligit & aſſervat cibos, quibus hyeme veſcatur: ideoque, ut ſcribit Ariſtoteles capite octavo ſecũdi Phyſici, ἀπορῆσαι τινὲς, πότερον νῷ, ἢ τινὶ ἄλλῳ ἐργάζονται αἱ τε ἀράχναι, καὶ οἱ μύρμηκες, καὶ τὰ τοιαῦτα· Dubitant aliqui, utrúm mente, an alia quadam re agant & aranei & formicæ, & cætera ejuſmodi animalia. Et Galenus in exhortatione ad artes liberales, diſtinguit hominem á beſtia, non uſu quidem rationis (nam rationem utrique communem attribuit) ſed magnitudine duntaxat excellentiæ, quód ratio magis excellat in homine, quám in beſtiis. Sed tamen ſic potiús ſtatuẽdum eſt, in beſtiis ineſſe naturalem quẽdam impetum ſimilem rationis: rationem veró & ſyllogiſmum non ineſ-

ſe,quia res inter ſe nec comparare, nec diſponere poſſunt: Itaque & vulpes callida, & ferox leo, & ſimplex columba,& provida formica,& ingenioſus araneus, & ejuſmodi animantes feré reliquæ,aliquid habent virtutis & rationis: hanc tamen ratiocinationis connexionem,& duorum cum tertio comparationem nullam habent. *At tameſi*] Si mens & ſenſus de judicio ſyllogiſtico contenderent,& in ea cauſſa judex Epicurus ſederet,quantumlibet ſenſibus propitius,attamen ſenſus nõ obtinerent,ſed veri judicãdi principatus menti tribueretur. *Atque ut*] Affectus mentem avocant ab æſtimatione veritatis,magnaque ex parte judicium naturale mentis extinguunt: ut enim quiſque affectus eſt,ita de rebus judicat,& cæcos affectus ad conſiderationem rerum adhibet, judiceſque ſtatuit: quo errore voluptuarii voluptatem, ambitioſi honorem, avari divitias probant: denique quod quiſque vehementiús amat,id longé optimum:quod maximé odit, id longé peſſimum arbitratur: cúm tamen interdum ſecús judicandum & æſtimandum ſit: quia cum affectibus temeritas & ignoratio conjungitur,non veritas & ſcientia.

METHODUS, AC PRIMUM *doctrinæ.*

Methodus,eſt diſpoſitio, qua de pluribus notitia primum primo loco, ſecundum ſecundo, tertium tertio, & ita deinceps unumquodque diſponitur. Hoc nomine ſignificatur omnis diſciplina ac diſputatio: attamen proprié pro cõpendio viæ ſumitur. Methodus, eſt doctrinæ vel prudentiæ. Methodus doctrinæ eſt,qua evidentius omnino & abſoluté notius præponitur: ut cauſſæ ſunt ſuis effectis: ideoque earum ſymbola,

bola, ut generale & universale, speciali ac singulari. Hæc methodus, judicii genere respondet enuntiationi necessariæ, & syllogismo rectè cõcluso: itaque quanvis in omnibus veris disciplinis omnes regulæ generales sint, & universales: attamen earum gradus distinguuntur: quantoque unaquæq; generalior erit, tantó magis præcedet: generalissima loco & ordine prima erit, quia lumine & notitia, prima est: subalternæ consequentur, quia claritate sunt proximæ: atque ex his natura notiores præponentur, minús notæ substituentur: tandem exempla (quæ res specialissimæ sunt) postrema constituentur. Hæc methodus in artibus bene traditis singularis & unica est: in hac enim sola & unica proceditur ab antecedentibus omnino & absoluté clarioribus & notioribus, ad consequentia obscura & incognita declarandum & illustrandum. Quid quæris? hæc artificiosa methodus instar est aureæ cujusdam longioris catenæ, qualem fingit Homerus: cujus annuli, sint hi gradus, qui sic inter se ex aliis alii dependeant: omnesque tam affabre inter se copulati, ut nihil moveri possit, quin series rerum continuatioque tota dissolvatur. Veruntamen ut res tota familiariús accipiatur, exemplo quoque familiari nobis utendum est. Omnes definitiones, distributiones, regulæ Grammaticæ repertæ sint, atque unaquæque veré judicata, omniaque hæc documenta variis tabellis inscripta: quæ omnes sint uná cõ-

fuſæ & conturbatæ in urna aliqua, ut in Ollæ ludo fieri ſolet: hic quæro, Quæ pars Dialecticæ me doceat has regulas ita confuſas diſponere & in ordinem redigere? primó locis inventionis nil opus eſt, cúm ſint omnia reperta: unaquæque enuntiatio probata & æſtimata eſt: neque primo enuntiationis judicio, neque ſecundo ſyllogiſmi judicio opus erit, cúm ſint omnes ſingularum rerum controverſiæ his de rebus diſceptatæ & judicatæ: ſola doctrinæ methodus ſupereſt: Dialecticus igitur lumine methodi artificioſæ, ſeliget in hac urna definitionem Grammaticæ (id enim eſt generaliſſimum) & primo loco ſtatuet: Grammatica, eſt doctrina bene loquendi: tum requiret in eadem urna partitionem Grammaticæ. & collocabit ſecundo loco: Partes Grammaticæ ſunt duæ, etymologia & ſyntaxis: Deinceps in eodem vaſe definitionem primæ partis ſeparabit, & tertio gradu antecedentibus adjunget: Itaque definiendo & diſtribuendo, ad exempla ſpecialiſſima deſcendet, & extremo loco conſtituet: Idemque in ſecunda parte faciet. Qua via conati ſumus adhuc præcepta Grammaticæ & Dialecticæ collocare generaliſſimum primo loco, ſubalterna medio, ſpecialiſſima infimo. Atque hæc methodus non ſolúm in materia artium & doctrinarum adhibetur, ſed in omnibus rebus, quas facilé & perſpicué docere volumus: ideoque oratorum, poëtarum, omniumque ſcriptorum communis: O-

ratores

ratores in proœmiis, narrationibus, confirmationibus, perorationibus hunc ordinem affectãt, eumque tum artis & naturæ ordinem appellant: & interdum ſtudioſiús aſſectantur, ut in accuſatione Cicero, primúm proponendo, tum partiendo: Quæſtor Cn. Papirio Cos. fuiſti abhinc annos quatuordecim: & ex illa die ad hanc diem quæ feciſti, in judicium voco: hora nulla vacua furto, ſcelere, crudelitate, flagitio reperietur. Propoſitio hic & definitio ſummæ rei eſt, partitio ſequitur: Hi ſunt anni conſumpti in Quæſtura & legatione Aſiatica, & prætura urbana, & Prætura Sicilienſi: Quare hæc eadem erit quadripartita diſtributio totius accuſationis meæ. Quas partes quatuor deinceps ſuo quãque ordine & loco tractavit: cæteris in cauſſis, quatenus conditio rerum naturaque tulit, lucem diſpoſitionis hujus adhibuit. Idem poëtæ faciunt, ſi quando intelligentiæ & doctrinæ argumentum tractent: ut Virgilius in Georgicis diſtribuit propoſitam materiam in partes quatuor, ut anté dixi, primoque libro res communes perſequitur, ut Aſtrologiam, Meteorologiam: deque ſegetibus & earum cultu diſſerit, quæ pars operis prima erat: ſecundo libro ſcribit generaliter de arboribus, tum ſpecialiter de vitibus: tertio libro de bobus, equis, ovibus, capris, canibus: quarto de apibus. Sic Ovidius in Faſtis, diſpoſitionis hujus gratiam ſequi ſtudet: Propoſuit initió ſummam operis:

Tempora cum cauſsis Latium digeſta per annum,
Lapſaque ſub terras, ortaque ſigna canam.

Mox imploratione facta, partitionem anni ſtatuit, factam á Romulo primúm in decem menſes, quam reprehendit: moxque Numæ in duodecim:

Tempora digereret cúm conditor urbis, in anno
Conſtituit menſes quinque bis eſſe ſuo.

Et paulò póſt:

At Numa, nec Janũ, nec avitas præterit umbras:
Menſibus antiquis præpoſuitque duos.

Denique tandem unumquenque menſem ſuo loco proſequitur, & præfatione ordinis hujus ſtudium indicat:

Hæc mihi dicta ſemel, totis hærentia faſtis,
Ne ſeriem rerum ſcindere cogar, erunt.

Hic præterea unum præcipiendum nobis eſt, ut non ſolúm ordinem diſtributarum rerum cõſervemus, ſed ſingulis expoſitis breviter admoneamus quæ dicta ſint, quæque dicenda ſuperent: his enim tranſitionum notis animus diſcentis recreatur & excitatur: Quod pro lege Manilia Cicero ſtudioſiſſimé fecit, diſtributa tres in partes oratione, ut de belli genere & magnitudine, tum de imperatore diligendo diceret: Quoniam, ait, de genere belli dixi, nunc de magnitudine pauca dicam. Et ibidem: Satis mihi multa verba feciſſe videor, quare hoc bellum eſſet genere ipſo neceſſarium, magnitudine periculoſum: reſtat ut de imperatore ad id bellum deli-

deligendo, ac tantis rebus præficiendo, dicendum eſſe videatur. Sic Virgilius ſecundo Georgico tranſitione uſus eſt:

Hactenus arvorum cultus & ſydera cæli,
Nunc te Bacche canam.

Sic Ovidius in fine primi Faſtorum, & initio ſecundi:

Sed jam prima mei pars eſt exacta laboris,
Cumque ſuo finem menſe libellus habet.
Janus habet finem, cũ carmine creſcat & annus:
Alter ut it menſis, ſic liber alter eat.

Ejuſmodi igitur eſt methodus naturæ & doctrinæ: cujus explicatio facilis, uſus & exercitatio valde difficilis, neque temeré: nemo enim hac methodo recté uti poſſit, qui non poſſit anté & locis inventionis, & primo ſecundoque judicio recté uti: Tum veró partibus infinitis & majus & operoſius eſt, bene hac artificioſa methodo diſponere & collocare, quám bene invenire, beneque vel enuntiatione, vel ſyllogiſmo judicare: Ac ſine dubio ars multó eſt hic excellentior, quám vel in locis inventionis, vel in enuntiatione, vel in ſyllogiſmo fuerat: quod admirabili ſcientiarum diſciplinarũq; omnium exemplo intelligi poteſt, in quibus permulta ſunt & acuté inventa, & perfecté primo ſecundoque judicio judicata: pauca tamen accuraté hac artificioſa methodo judicata & collocata.

Methodus] Tertium logicæ diſpoſitionis genus definitur, diſpoſitio, per quam res multæ ſuo quæque loco

& ordine, pro natura & conditione ſuæ perſpicuitatis & doctrinæ collocantur: appellaturque paſſim á Græcis μέθοδος, á Latinis methodus: quod nomen proprié ſignificat brevem & compendiariam viam, & per metaphoram, facilem rationem docendi: ut enim compendia viarum facilé & expedité nos eó quó volumus, deducũt: ſic diſpoſitio rerum, quæ certa via & ratione progreditur, nos ad perſpicuam cognitionem propoſitæ rei ducit: eoque ab enũtiatione & ſyllogiſmo differt, quód enuntiatio quidem unũm cum uno diſponit, ſyllogiſmus autem unum cum duobus: At methodus res multas enuntiatas & concluſas, legitima via ordinis & diſpoſitionis inſtituit, ut in partibus deinceps planiús intelligetur. Rhetores hanc tertiam ſpeciem, diſpoſitionem vocant nomine generali: quanvis tamen in ſuis Rhetoricis ſpeciatim tantum de methodo præcipiant: de duobus autem aliis logicæ diſpoſitionis generibus, enuntiatione videlicet & ſyllogiſmo, præceptum nullũ tradant. *Methodus doctrinæ*] Diviſio logicæ methodi in duas ſpecies, approbari poteſt teſtimoniis Ciceronis, Quintiliani, & Ariſtotelis. M. Antonius apud Ciceronem libro ſecũdo de Oratore, duplicem rerum collocationẽ ſtatuit, unam quam affert natura cauſſarum; alteram, quæ oratorum prudentia & judicio comparatur: quo loco methodus, quæ tota generalis proponi debuit, ad uſum duntaxat eloquẽtiæ forenſis & popularis aſtringitur: Quintilianus libro ſeptimo judicium & doctrinam Ciceronis ſequitur: Ariſtoteles porró in logicis utranque ſpeciem docuit & præceptis informavit, tametſi partitionem minimé propoſuerit. *Methodus doctrinæ*] Methodus doctrinæ, generaliter definitur diſpoſitio, qua ut unũquodque eſt natura & abſoluté prius & notius, ita præcedit ordine & expoſitione. Natura autem prius & natura notius, pro una & eadem re dicuntur: & his vocabulis feré ſignificantur magis univerſalia, ut ſcribit Ariſtoteles cap. 2. libri primi poſteriorum Analyticorum: ἁπλῶς δὲ πρότερα καὶ γνωριμώτερα τὰ πορρώτε-

ῥώτερον. ἔστι δὲ πορρωτάτω μὲν τὰ καθ' ὅλου μάλιστα. absoluté autem priora & notiora, quæ longiús á ſenſu remota ſunt: remotiſſima autem ſunt, quæ maximé ſunt univerſalia: Cumque philoſophi præcipiunt doctrinæ ſcientiam á cauſſis ad effecta deducendam eſſe, nihil aliud præcipiunt, quám ut ab univerſalibus ad ſpecialia, omnem legitimam & artificioſam diſputationẽ perſequamur: Sunt enim univerſalia ſymbola cauſſarum, ut ſpecialia effectorum, quemadmodum dictum eſt ſuperiore libro in doctrina generis & ſpeciei: & quanvis in prima rerum diſquiſitione ſpecies anté cognoſcatur, quàm genus (nam prima informatio & perceptio fit per ſenſus) tamen cúm utrunque cognoveris, & doctrinam tradere volueris, genus ipſum ſua natura clarius & prius erit: atque iccirco in diſpoſitione artis præcedere ſpeciem debebit. *Hæc methodus*] Comparatio eſt ex partibus ſumpta: Quanta eſt veritas & firmitas judicii in enuntiato neceſſario atque in ſyllogiſmo legitimé concluſo, tanta eſt in methodo doctrinæ ab univerſalibus ad ſpecialia progredientis: talis enim diſpoſitio certiſſimam rei ſcientiam & veritatem efficit: qualis elucet maximé in diſciplinis bene traditis & diſpoſitis. *Hæc methodus in artibus*] Methodus doctrinæ non dividitur in multas ſpecies, quia unica eſt methodus rerum arte & ratione explicandarum, á ſummis videlicet generibus ad intermedia, & hinc ad ſpecialia & ſingularia deſcendendo: non autem multæ, ut plerique philoſophi ſomniarunt, ut una ſit definitionis, altera diviſionis, tertia demõſtrationis: omnes enim artes bene traditæ, hac unica artificioſa via, quam diximus, procedunt, quæ quidem definitiones, diviſiones & demonſtrationes propoſitarum rerum ex ſuis cauſſis continet; verúm ea ſingularis & unica eſt, his tribus, tãquam materia utens: & non plures: quod in ſcholis fortaſſe paradoxum videbitur, ad certas hominum authoritates adhæreſcentibus: attamen verum eſt: nec ulla unquam ars aut diſputatio artificioſa, niſi hac ratione &

progressione potest instrui. Unica enim & singularis method' doctrinæ probari potest, testimoniis summorũ philosophorũ, Hippocratis, Platonis & Aristotelis: Hippocratis locus citatur á Galeno lib. 9. de Placitis Hippocratis & Platonis: ἢ ὅμοια, ἢ ἀνόμοια ἐξ ἀρχῆς ἀπὸ τῶν μεγίστων καὶ ῥηΐστων, ἀπὸ τῶν πάντως πάντα γιγνωσκομένων, ἃ δὲ ἰδεῖν καὶ ἀκοῦσαι ἔστιν, ἃ καὶ τῇ ὄψει, καὶ τῇ ῥυνὶ, καὶ τῇ γλώσσῃ, καὶ τῇ γνώμῃ ἔστιν αἰσθέσθαι, οἷς γιγνώσκομεν, ἃ πᾶσιν ἔστι γνῶναι. Similiane sint an dissimilia primúm á maximis ac facillimis & notis omnino usquequaque, quæ & videre ac audire liceat, & quæ liceat percipere tum visu, tum naribus, tum lingua, tum mente, quibus omnia cognoscimus, quæ omnibus licet cognoscere. Hic itaque docet Hippocrates incipiendum esse ab his quæ maxima sunt κατὰ χρεῖαν καὶ δύναμιν, usu & facultate ut Galenus interpretatur, & quæ sunt notissima tũ sensibus, tum menti: qualia sunt generalia, quæ non solúm mente, sed etiam sensibus ad objectas res cognoscendum, promptiús & evidentiús occurrunt: ut quod eminus movetur, primúm judicamus esse animal: deinde propiús inspicientes, hominem, tum demum Socratem, ut primo physico Aristoteles ait: Qua de caussa capite tertio sexti Topici negat definitionem rectam & legitimam esse, nisi contingat idem nobis notius esse & absoluté notius: siquidem oportet per genus & differentias definire eum, qui bene definit. Tria autem Platonis testimonia notantur, ex Philebo, Phædro & Charmide: Socrates in Philebo his verbis definit methodum: καὶ οἱ μὲν παλαιοὶ κρείττονες ἡμῶν καὶ ἐγγυτέρω θεῶν οἰκοῦντες, ταύτην φήμην παρέδοσαν, ὡς ἐξ ἑνὸς μὲν καὶ πολλῶν ὄντων τῶν ἀεὶ λεγομένων εἶναι, πέρας δὲ καὶ ἀπειρίαν ἐν ἑαυτοῖς ξύμφυτον ἐχόντων δεῖν οὖν ἡμᾶς τούτων οὕτω διακεκοσμημένων αἰεὶ μίαν ἰδέαν πεπὶ παντὸς ἑκάστοτε θεμένους ζητεῖν· εὑρήσειν γὰρ ἐνοῦσαν. ἐὰν οὖν μεταλάβωμεν, μετὰ μίαν δύο εἴ πως εἰσὶ σκοπεῖν· εἰ δὲ μή, τρεῖς, ἤ τινα ἄλλον ἀριθμόν· καὶ τῶν ἓν ἐκείνων ἕκαστον πάλιν ὡσαύτως, μέχρι περ ἂν τὸ κατ' ἀρχὰς ἕν, μὴ ὅτι ἓν καὶ πολλὰ καὶ ἄπειρά ἐστι μόνον, ἴδῃ τις, ἀλλὰ

καὶ

καὶ ὁπόσα. τὴν δὲ τοῦ ἀπείρου ἰδέαν πρὸς τὸ πλῆθος μὴ προσφέρειν, πρὶν ἄν τις τὸν ἀριθμὸν αὐτοῦ πάντα κατίδῃ, τὸν μεταξὺ τοῦ ἀπείρου τε καὶ τοῦ ἑνός· πότε δ' ἤδη, τὸ ἓν ἕκαστον τῶν πάντων εἰς τὸ ἄπειρον μεθέντα χαίρειν ἐᾶν. Ac prisci quidem nobis excellentiores & ad Deos propiús accedentes, hoc nobis oraculum tradiderunt: ut cúm ex uno & multis constent æterna omnia, finemque & infinitatem habeãt in se ipsis insitam, his ita constitutis, in re quavis semper ideam passim statuentes, inquiramus: Hanc enim, cúm insit, inveniemus. Si igitur eam inveniamus, post unam, duas consideremus, si quo modo insunt: sin latiús res pateat, tres, aut alium quendam numerum: & quodlibet eorum, quæ unum sunt, rursus eodem modo dividamus, donec perviderimus illud, quod initió fuerat unum, non solúm quód sit unum & multiplex & infinitum, sed etiam quotuplex sit omnino. Infiniti ueró ideã non priús ad multitudinem deducamus, quám omnis numerus inter unum atque infinitum intermedius cognoscatur: tum demum unumquodque eorum omnium quæ in infinitum cadunt, omittamus. Socrates paucis verbis artem methodi comprehendit, ut genus universum, de quo agitur, primó definiatur, tum species ejus proponantur: singulæ item definiantur, & sic ad extremum divisionibus & definitionibus explicentur, donec ad infinitas species & individuas perventum sit: quam methodicam progressionem declarat exemplis duarum artium, Musicæ & Grammaticæ. Idem Socrates cùm Phædrum interrogat, nunquid putet à Lysia omnia temeré projecta esse, neq; consideratũ, quid primo aut secundo loco diceretur: ἀλλὰ τὸ δέ γε, inquit, οἶμαί σε φᾶναι ἂν, δεῖν πάντα λόγον, ὥσπερ ζῶον συνεστάναι, σώματα ἔχοντα αὐτὸν αὑτοῦ. ὥστε μήτε ἀκέφαλον εἶναι, μήτε ἄπουν· ἀλλὰ μέσα τε ἔχειν, καὶ ἄκρα πρέποντα ἀλλήλοις καὶ τῷ ὅλῳ γεγραμμένα. At hoc arbitror te dicturum esse, omnem disputationem, instar animalis suo quodam corpore constitui oportere, ut neque capite, neque pedibus careat, sed habeat descripta & media & extrema, sibi inter se

& toti conveniẽtia. Et pauló póst docet exẽplo amoris, in omni artificiosa disputatione duas res imprimis persequendas esse, definitiones & divisiones: Σω. Τούτων δέ τινων ἐκ τύχης ῥηθέντων δυοῖν εἰδοῖν, εἰ αὐτὴν τὴν δύναμιν τέχνη λαβεῖν δύναιτό τις, οὐκ ἄχαρι. Φαῖ. τίνων δή; Σω. Εἰς μίαν τὲ ἰδέαν συνορῶντα ἄγειν τὰ πολλαχῆ διεσπαρμένα· ἵνα ἕκαστον ὁριζόμενος, δῆλον ποιῇ περὶ οὗ ἂν αἰεὶ διδάσκειν ἐθέλῃ· ὥσπερ τανῦν δὴ περὶ ἔρωτος ὅ ἐστιν ὁρισθὲν, εἴ τ' εὖ, εἴ τε κακῶς ἐλέχθη. Τὸ γοῦν σαφὲς καὶ τὸ αὐτὸ αὐτῷ ὁμολογούμενον, διὰ ταῦτα ἔσχεν εἰπεῖν ὁ λόγος. Φαῖ. τὸ δ' ἕτερον δὴ εἶδος τί λέγεις, ὦ Σώκρατες; Σω. τὸ πάλιν κατ' εἴδη δύνασθαι διατέμνειν κατ' ἄρθρα, ᾗ πέφυκε καὶ μὴ ἐπιχειρεῖν καταγνύναι μέρος μηδὲν κακοῦ μαγείρου τρόπῳ χρώμενον· ἀλλὰ ὥσπερ ἄρτι τὼ λόγω, τὸ ἄφρον τῆς διανοίας ἕν τι κοινῇ εἶδος ἐλαβέτην. ὥσπερ δὲ σώματος ἐξ ἑνὸς διπλᾶ καὶ ὁμώνυμα πέφυκε σκαιὰ τά δὲ ἢ δεξιὰ κληθέντα· οὕτω καὶ τὸ τῆς παρανοίας ὡς ἐν ἡμῖν πεφυκὸς εἶδος ἡγησαμένω τὼ λόγω· ὁ μὲν, τὸ ἐπ' ἀριστερὰ τεμνόμενος μέρος, πάλιν τοῦτο τέμνων οὐκ ἐπανῆκε, πρὶν ἐν αὐτοῖς ἐφευρὼν ὀνομαζόμενον σκαιόν τινα ἔρωτα ἐλοιδώρησε μάλ' ἐν δίκῃ. ὁ δ' εἰς τὰ δεξιὰ τῆς μανίας ἀγαγὼν ἡμᾶς, ὁμόνυμον μὲν ἐκείνῳ· θεῖον δ' αὖ τινὰ ἔρωτα ἐφευρὼν καὶ προτεινάμενος ἐπῄνεσεν, ὡς μεγίστων ἡμῖν αἴτιον ἀγαθῶν. Φαῖ. Ἀληθέστατα λέγεις. Σω. τούτων δὴ ἔγωγε αὐτός τε ἐραστὴς ὦ Φαῖδρε, τῶν διαιρέσεων καὶ συναγωγῶν, ἵν' οἷός τε ᾧ λέγειν τε καὶ φρονεῖν· ἐάν τε τινα ἄλλον ἡγήσωμαι δυνατὸν εἰς ἓν καὶ ἐπὶ πολλὰ πεφυκότα ὁρᾷν, τοῦτον διώκω κατόπισθε μετ' ἴχνιον ὥστε θεοῖο. καὶ μέν τοι καὶ τοὺς δυναμένους αὐτὸ δρᾶν, εἰ μὲν ὀρθῶς ἢ μὴ προσαγορεύω, θεὸς οἶδε· καλῶ δὲ οὖν μέχρι τοῦδε διαλεκτικούς. Si quis autem harum duarum formarum, in quas forté incidimus, vim & facultatem arte comprehenderit, rem non ingratam fuerit assecutus. Phæ. Quas? So. Ut in unam speciem intuens, passim dispersa colligat, & unumquodque definiens, id planum & perspicuum efficiat, quod docere velit: quemadmodum nunc amor quid esset, definitus est, sive recté sive malé definitus sit. Claritatem igitur & consentientem sibi ipsi constantiam ex his habuit oratio. Phæ. Alteram autem speciem, quam appellas, o Socrates? So.

Ut

Ut rursus in species articulatim partiri possit, quatenus natura rei postulat: neque ullam partem, imperiti coqui more, confringere tentet: sed quemadmodum proxima disputatio fecit, quæ concitationem mentis, unam quandam speciem communiter accepit. Quemadmodum autem ex uno duplicia membra & ejusdem nominis enascuntur, sinistra & dextra: sic concitationis speciem unam nobis insitam disputatio posuit: una quidē, partem sinistram dividens, rursusque eandem subsecās, non destitit priusquám sinistrum amorem ibi reperiens, improbaret: altera autem in dextram furoris partem nos deducens, amorem superiori similem, sed divinum tamen inveniens: & verbis amplificans, ut maximorum nobis bonorum causam laudavit. Phæ. Verissima dicis. So. Harum ego divisionum & collectionum o Phædre, amator ipse sum, ut & dicere & sapere valeā: ac si quem alium esse existimo, qui & unum & multa, pro natura rerum perspicere atque comprehendere possit, hunc ego sané á tergo sequar, tanquam aliquem deum. Eos autem, qui id facere possunt, rectene an malé appellem, Deus ipse novit: hactenus siquidem dialecticos appello. Idē Socrates Charmidē sic alloquitur: μᾶλλον γάρ σοι παῤῥησιάσομαι πρὸς τῆς ἐπῳδῆς οἵᾳ τυγχάνῃ ἔστα· ἄρτι δ' ἠπόρουν τίνι τρόπῳ σοι ἐνδείξαιμι τὴν δύναμιν αὐτῆς· ἔστι γὰρ ὦ Χαρμίδη, τοιαύτη, οἵᾳ μὴ δύνασθαι τὴν κεφαλὴν μόνον ὑγιᾶ ποιεῖν· ἀλλ' ὥσπερ ἴσως ἤδη καὶ σὺ ἀκήκοας τῶν ἀγαθῶν ἰατρῶν, ἐπειδάν τις αὐτοῖς προσέλθῃ τὰς ὀφθαλμοὺς ἀλγῶν, λέγουσί που, ὅτι οὐχ οἷόν τε αὐτοὺς μόνους ἐπιχειρεῖν τοὺς ὀφθαλμοὺς ἰᾶσθαι, ἀλλ' ἀναγκαῖον εἶη ἅμα καὶ τὴν κεφαλὴν θεραπεύειν, εἰ μέλλοι καὶ τὰ τῶν ὀμμάτων εὖ ἕξειν. καὶ αὖ τὸ τὴν κεφαλὴν οἴεσθαι ἄν ποτε θεραπεῦσαι αὐτὴν ἐφ' ἑαυτῆς ἄνευ ὅλου τοῦ σώματος, πολλὴν ἄνοιαν εἶναι. ἐκ δὴ τούτου τοῦ λόγου διάταξις ἐπὶ πᾶν τὸ σῶμα τρεπόμενοι, κατὰ τοῦ ὅλου τὸ μέρος ἐπιχειροῦσι θεραπεύειν τε καὶ ἰᾶσθαι. ἢ οὐκ ἤδησαι ὅτι ταῦτα οὕτω λέγουσί τε καὶ ἔχει; πάνυ γε ἔφη. ἴθι οὖν καλῶς σοι ἔχει λέγεσθαι, καὶ ἀποδέχῃ τὸν λόγον; πάντων μάλιστα, ἔφη. Tibi verò liberiús incantationem, cujuscunque modi sit, ostendam: paulò

anté verò dubitabam, quo pacto tibi vim illius demonſtrarem: Eſt autem o Charmides, ejuſmodi, ut caput ſolum curare & ſanare nequeat: ſed qualem ſæpe ex Medicis peritis audiſti, qui quoties ab hominibus dolore oculorum laborantibus conſuluntur, reſpondent ſe non poſſe oculis mederi, ſed neceſſarium eſſe ſimul & caput curare, ut oculis ſanitas reſtituatur: Et caput ipſum ſeparatim curare, neglecta curatione totius corporis, magnam dementiam eſſe. Quapropter diætas ad univerſi corporis curationem adhibent, & à totius curatione, ad curandam ſanandamque partem accedunt. Nunquid animadvertiſti hæc ita ab his dici, & ita ſe habere? Char. Prorſus, inquit. So. Rectene loqui tibi videntur, inquam, & hæc approbas? Charm. Maximé omnium, inquit. Hac allegorica ſimilitudine Socrates indicat, cúm animum ignorantia, qui morbus eſt mentis, purgare, & ad ſanitatem doctrinæ revocare volumus, exémplo ſapientum Medicorum, univerſum corpus primúm eſſe curandum, id eſt totam rem, de qua agitur, primúm & univerſé definiendam eſſe: deinde ad curationem reliquarum partium eſſe veniendum, id eſt ſingulas ſpecies & partes & particulas rei propoſitæ ſubjectas, diligenter & accuraté tractandas & explicádas eſſe: ut methodus doctrinæ, id eſt artificioſa docendi ratio, methodo medendi maximé germana, & in re diſſimili ſimillima eſſe videatur. Ariſtoteles primo libro poſteriorum Analyticorum docet omnem ſcientiam aliunde deductam, é cauſſis notioribus & prioribus inſtituēdam eſſe: & primo libro de partibus Animalium, cúm quærit, qua via de natura animalium diſputandum ſit, quæſtionem concludit in hunc modum: ἢ τὰ καθόλου ὑπάρχοντα πρότερον εἰπεῖν, ἢ πολλάκις ταυτὸν λέγειν. τὰ δὲ καθόλου κοινά· τὰ γὰρ πλείοσιν ὑπάρχοντα, καθόλου λέγομεν. aut univerſalia priús explicanda eſſe, aut ſæpiús idem dicendum: univerſalia verò communia: quæ enim in pluribus ſunt, univerſalia dicimus. Tot igitur ac tantis teſtimoniis intelligimus unicam eſſe doctrinæ inſtituendæ methodū,

quæ

quæ á generalibus ad ſpecialia procedit: cæteræ, quæ methodi appellãtur à Medicis, ut definitio, diviſio, ſimilitudo, methodi non ſunt, ſed particulæ logicæ inventionis & materiæ artificioſæ methodi: Syllogiſmus etiam apodicticus, methodus non eſt, ſed ratione & præceptis á methodo diſtinguitur. Ariſtotelei interpretes fingunt duas artificioſæ diſpoſitionis vias, unam geneſim, á ſimplicibus ad compoſita aſcendendo, alteram analyſim, á compoſitis ad ſimplicia deſcẽdendo: ſed ut per analyſim artes inveniuntur, ita per ſolam geneſim tradi & doceri debent: vide locum libro nono Animaduerſionum cõtra Galenum & Ariſtotelis interpretes. *Hæc artificioſa*] Homerus libro octauo Iliados fingit catenam auream in contiſtutione mundi ſuſpenſam, qua ſumma cum imis ita copulantur, ut diſſolvi non poſſint: quin protinus id eveniat, quod eſt in proverbio, Surſum ac deorſum omnia. Huic aureæ catenæ comparatur methodus, ſumma cum intermediis, & hæc cum imis tam affabre connectens & copulans, ut cõtinuatio rerum & ordinis diſſolvi non poſſit, quin confuſio & perturbatio ſumma protinus accidat. *Veruntamen*] Exemplum Grammaticæ artis adhibetur ad explicandam definitionem artificioſæ methodi, ut intelligamus ſi præcepta Grammaticæ artis confuſa & indigeſta eſſent, confuſionem iſtam non alia arte, quám methodi dialecticæ, diſtingui & in ordinem reduci poſſe: quod etiam Craſſus planiús apud Ciceronem inductione variarum artium docet, his verbis: Omnia feré, quæ ſunt cõcluſa nunc artibus, diſperſa & diſſipata quondam fuerunt: ut in Muſicis, numeri & voces & modi: in Geometria, lineamenta, formæ, intervalla, magnitudines: in Aſtrologia, cœli converſio, ortus, obitus, moruſque ſyderum: in Grammaticis poẽtarum pertractatio, hiſtoriarum cognitio, verborum interpretatio, pronuntiandi quidam ſonus: in hac denique ipſa ex alio genere quodam, quod ſibi totum philoſophi aſſumant, ratione dicendi excogitare, ornare, diſponere, meminiſſe, agere, ignota quondam omnibus &

diffusa laté videbantur: adhibita est igitur ars quædam extrinsecus, quæ rem dissolutam divulsamque conglutinaret, & ratione quadam costringeret. Sit ergo in jure civili finis hic, legitimæ atque usitatæ in rebus causisque civium æqualitatis conservatio: tum sunt notanda genera, & ad certum numerum paucitatemque revocanda: Genus autem est, quod sui similes communione quadam, specie autem differentes duas aut plures complectitur partes: Partes autem sunt, quæ generibus iis, é quibus emanant, subjiciuntur: omniaque, quæ sunt generum vel partium nomina, definitionibus, quam vim habeant, est exprimendum. Quamobrem si omnium artium præcepta inventa & probata essent, sed tamen confusa & indigesta, hæc pars Dialecticæ confusam turbam præceptorum distinguere, & suo loco singula disponere atque tractare doceret: ut rectè dici possit ars reliquarum artium faciendarum & ordine tractãdarum. *Partes Grammaticæ*] Partes Grammaticæ artis vulgó quatuor esse dicuntur, orthographia, prosodia, etymologia, syntaxis: sed duæ primæ sub tertia comprehendi debent, quia cúm dictionum doctrina exponitur, partes earum docendæ sunt, literæ per orthographiam, & syllabæ per prosodiam: prima etenim distributio est totius in partes integrantes: Itaque generalis divisio Grammaticæ in duas partes primúm facienda est, etymologiam & syntaxim. Qua de re Petri Rami Grãmatica & Scholæ grammaticæ testimonium perhibent.

Atque hæc methodus] Methodus doctrinæ utilis est non solúm ad tractandas artes, ut proximo exemplo demõstratum est, sed etiam reliquas disputationes artibus nõ comprehensas: quod exemplis oratorum & poëtarum declaratur: Oratores enim cúm in exordiis rem, de qua agitur, summatim proponũt, in narrationibus definiũt, in confirmationibus partes exequuntur, in perorationibus concludunt, artificiosum illum & logicum ordinẽ consectantur: itemque poëtæ cúm materiam sui operis primúm proponunt, deinde in certas partes distribuũt,

& eas

& eas ſuo loco & ordine perſequũtur, dialecticam methodum & progreſſionem exercent. *Ut in accuſatione*] Cicero accuſationem Verris diſtribuit in quatuor partes, Quæſturam, Legationem, Prætoram urbanam, & Prætoram Sicilienſem: quas eo ordine, quo propoſuit, exequitur: de Quæſtura, actione tertia agit: ut Verres Quæſtor averſa pecunia publica Cn. Papy. Carbonem cum exercitu deſeruit: rationes non retulit. Legationis crimina hæc ſunt, quód legatus Verres contra Carbonẽ teſtimonium dixit: in Ciliciã proficiſcens fanum Apollinis in Delo ſpoliavit: Tenedo Tenem deum abſtulit: Lampſaci, filiam Philodami rapere voluit: Philodamum ipſum, quód ejus libidinibus obſtitiſſet, capite mulctandum curavit: Prætoræ urbanæ duo crimina in eadem actione accuſantur, unum in jure dicendo, alterum in ſartis tectis exigendis: Prætoræ Sicilienſis quatuor crimina reliquis quatuor actionibus explicantur: quarta, crimen de jurisdictione, quinta de frumento, ſexta de ſignis ſublatis, ſeptima de crudelitate ſuppliciorum.

Idem poëtæ] Poëtæ cúm ad ſolam delectationem ſcribunt, perſæpe methodum prudentiæ, de qua mox agetur, adhibent: cúm veró docere volunt, ut Virgilius in Georgicis agriculturam, Ovidius in Faſtis rationem faſtorum & deſcriptionem anni, lumen artificioſæ methodi accendunt. *Hic præterea*] Utilis eſt tranſitio ad duas res, ad docendum primúm: nam & quid dictum ſit, admonet, & ad id, quod ſupereſt, comparat auditorem: deinde ad delectandum: reficit enim lectorem vel auditorem, cúm & id quod dictum eſt, velut epilogo ſub aſpectum ponit, & ſequentis diſputationis ſummã aliquam proponit: qua non ſecús afficimur, atque viatores ipſi, quibus ſuſcepti itineris, viæ notatæ demonſtrantur. Sunt autem duo trãſitionis genera, unum perfectæ, quæ & id, quod dictum eſt, admonet, & quid deinceps dicendum eſt, proponit: ut pro lege Manilia: Quoniam de genere belli dixi, nunc de magnitudine pauca dicam. Alterum eſt tranſitionis imperfectæ, ubi

antecedens non repetitur, ſed tantúm proponitur conſequens: ut cúm Virgilius ſecundo Georgico de cultu arborum & vitium diſſeruiſſet, nullo facto epilogo, ad tertium opus tranſit:

Te quoque magna Pales, & te memorande canemus
Paſtor ab Amphryſo.——

Cumque de re pecuaria libro tertio diſputaviſſet, nulla adhibita repetitione, tranſit ad quartum opus:

Protinus aërii mellis cœleſtia dona
Exequar.——

Ejuſmodi] Doctrina artificioſæ methodi paucis & facillimis præceptis continetur, videlicet, ut legitima diſputatio á ſummis generibus ad ſpecialia deſcendat: at uſus hujus longé difficillimus eſt, ut conſtat teſtimonio Socratis in Philebo: Σω. οὐ γὰρ οὖν ὦ παῖδες, ὡς φησιν ὑμᾶς προσαγορεύων Φίληβος· οὐ μὴν ἔστι καλλίων ὁδὸς, οὐδ' ἂν γίγνοιτο, ἧς ἐγὼ ἐραστὴς μέν εἰμι ἀεί· πολλάκις δέ με ἤδη διαφυγοῦσα, ἔρημον καὶ ἄπορον κατέστησε. Προ. Τίς ἄντις λεγέσθω μόνον. Σω. Ἣν δηλῶσαι μὲν οὐ πάνυ χαλεπὸν, χρῆσθαι δὲ, παγχάλεπον· πάντα γὰρ ὅσα τέχνης ἔχόμενα ἂν εὑρεθῇ πώποτε, διὰ ταύτης φανερὰ γέγονε. Non ſané o pueri, ſic enim vos appellat Philebus: nulla verò via pulchrior eſt, nec eſſe poteſt ea, cujus tametſi amator ſemper fui, ſæpe tamen me deſeruit, ſolumque & ſolicitum deſtituit. Prota. Quænam eſt? Exponatur modó. So. Quam declarare quidem facillimum eſt, exercere autem, difficillimum: Omnes enim artes, quæ unquam inventæ ſunt, hac utique via inventæ & illuſtratæ ſunt.

Nemo enim] Secundum argumentum difficultatis, ſumitur é ſubjecta materia partium Dialecticæ antecedétium: Nam argumenta, & propoſitiones, & ſyllogiſmi, methodo collocantur: Itaque in promptu nobis eſſe debent, antequam methodo diſponantur. *Tum verò*] Tertium argumétum eſt é collatione minoris difficultatis, quæ eſt in ſuperioribus partibus, inventione, enuntiatione, & ſyllogiſmo: quod exemplo artium declaratur. Itaque concludatur excellentia methodi artificioſæ teſtimonio

ſtimonio Socratis in Philebo: ſic enim ait: θεῶν μὲν εἰς ἀνθρώπους λόσις, ὡς γε καταφαίνεται ἐμοί, ποθὲν ἐκ θεῶν ἐρρήφη διά τινος προμηθέως ἅμα φανωτάτῳ τινὶ πυρί· καὶ οἱ μὲν παλαιοὶ κρείττονες ἡμῶν, καὶ ἐγγυτέρω θεῶν οἰκοῦντες, ταύτην φήμην παρέδοσαν. Deorum certé ad homines, ut mihi quidē videtur, donum alicunde á diis per Prometheum quendam, uná cum igne clariſsimo delatum: ac veteres nobis præſtantiores, diiſque magis familiares, hoc nobis oraculum tradiderunt.

METHODUS PRUDENTIAE.

Sequitur methodus prudentiæ, in qua res præcedunt, non omnino & abſoluté notiores, ſed certé ei, qui docendus ſit, convenientiores, & probabiliores ad inducendum, quó volumus: appellatur ab oratoribus diſpoſitio prudentiæ, quia magis in hominis prudentia, quám in arte & præceptis doctrinæ ſita eſt: tanquam methodus doctrinæ, ſit judicium ſcientiæ, methodus prudentiæ, ſit opinionis judicium: Quanvis hæc methodus in philoſophis, poëtis, oratoribus, obſervationis aliquid habeat cum ſyllogiſmo etiam commune. Huc referre poſſumus, crypſim, id eſt occultam & inſidioſam inſinuationem: de qua feré præcipitur. A medio incipere: non exponere initió, quó tendas: nec ejus partes explicare, & longé repetere rationes & antecedentia conſilii noſtri, idque præcipué ſimilitudine & parabola: ac ſi perſona ſit imprudens oppoſita, protinus exequi: ejuſmodi enim ingenia facilé capiuntur: ſin callida ſit & aſtuta, non protinus argumenta ſigillatim aperire, ſed mutare, res alie-

nas miſcere, contrarium fingere, ſibi ipſi reſiſtere, quandam non curantiam ſimulare, vulgare & uſitatum dicere, accelerare, iraſci, contendere, liberiús omnino & audaciús agere, ut adverſarius perturbatus dicat, Quorſum hæc: denique quod concludendum ſit, poſtremum dicere. Socrates his ſtratagematis utitur adverſus ſophiſtas, qui nollent ab eo doceri: ideoque cúm ſtultæ eorum opiniones ita refelluntur, iraſcuntur Socrati, eumque modó torpedinem, modó Dædalum, modó incantatorem nominant: tanquã hac methodo torpidos & ſtupidos redderet, & phantaſmate aliquo illuderet & incantaret, vanaque rationis ſpecie aliqua falleret. Poëta cum ſæpe ſit in omni Logicæ parte excellens, attamen hac laude magis eſt admirabilis: Populum ſibi docendum proponit, id eſt belluam multorum capitum: ideoque variis modis decipit: incipit á medio, ibique primum ſæpe comprehendit, poſtremum denique incerto aliquo & inopinato caſu concludit: atque ut Horatius ait in Arte poëtica,

Nec reditum Diomedis ab interitu Meleagri,
Nec gemino bellum Trojanum orditur ab ovo:
Semper ad eventum feſtinat, & in medias res,
Non ſecús ac notas auditorem rapit: & quæ
Deſperat tractata niteſcere poſſe, relinquit:
Atque ita mentitur, ſic veris falſa remiſcet,
Primo ne medium, medio ne diſcrepet imum.

Sic Virgilius Æneam á Sicilia excepit, & in medio

medio præterita narrantem fecit poſtrema variis perturbata caſibus induxit: Sic comici poëtæ, tametſi magno conſilio judicioque comœdias, actus, ſcenas, officia perſonarum diſtinguũt, efficiunt tamen ut omnia fortuita & inopinata videantur. Exemplum hujus aſtutiæ ſingulare unum eſt in Eunucho Terentii: Thaïs duos amatores habebat, Thraſonem & Phædriam: Thraſoniſque gratia Phædriam excluſerat, prætereaque dies aliquot excludere cupiebat, ut á Thraſone ſervam puellam, quam ei pollicebatur, acciperet: Itaque ut Phædria placaretur & dies aliquot Thraſoni præterea cederet, hæc cryptica callidé ſunt adhibita: principió nullum propoſiti ſignum dedit, ſed contrarium ſimulans, lamentatur, & longa narratione utitur, muniendis cõſilii ſui rationibus: in qua multæ nugæ & affectiones variæ miſcentur: tandem veró, cúm ſentit iratum priús adoleſcentis animum mitigatum eſſe, imó magnam partem reconciliatum, tum ait:

Id amabo adjuta me, quó id fiat facilíus:
Sine illum priores partes hoſce aliquot dies apud me habere.

Tum certé poſtremum poſuit, quod primum ſtatui debuit, ſi nullus animi motus obſtitiſſet: tam callidé, tam convenienter iratæ perſonæ mulier diſſimulavit, ut tandem adoleſcens exclamet, captum ſe eſſe indicans,

At ego neſciebam quorſum tu ires!

Prudentia methodi hujus ab oratoribus quoque notata eſt, cúm admonent in exordio antequam res, qua de agitur, proponatur aut narretur, non intelligentiam modó, ſed gratiam & attentionem auditoris comparandam eſſe: eumque in reliquo orationis curſu retinendum digreſſione aliqua & iteratione, tandemque in peroratione omnino commovendum, ut nobis faveat. Nam ejuſmodi exordia & perorationes nihil requiruntur ad docendum bonum auditorem, qui per ſe veritatem amat & poſtulat: Quid multa? Quicquid ultra doctrinæ methodum in docendo adhibetur, ſæpe reprehẽditur: quod tamen auditoris occaſione prudenter laudatur & á philoſophis & ab oratoribus: á quibus præterea præcipitur, in turpem & admirabilem cauſſam, non recta via, ſed averſa inſinuatione aliqua ingrediẽdum eſſe: neque propoſitionem, neque partitionem oſtendendam, ut neque Chirurgus timido ferrum oſtendit, priuſquám curarit, nihilque eſſe majus in hominis judicio, cúm perviderit, quid in cauſſa boni ſit & mali, quám bonum ipſum amplecti, ornare, augere: in eo prorſus commorari & hærere, contrarium autẽ malum fugere: imó veró interdum moleſto & difficili loco nihil reſpondere: ita tamen, ne armis abjectis fugere, ſed ſpeciem atque pompam potiús adhibere: nec metu aliquo, ſed capiendi loci ad pugnam commodioris gratia ceſſiſſe videamur. Quod Tullius prudenter egit: Proponit

nit Agraria ſecunda longam inſinuationem, velut gratias agere tantúm ſtatueret, cúm ſe popularem fingit, qui tamen de induſtria accedit ad populi cauſſam evertendam: neque quæſtionem propoſuit, neque quæſtionis partitionem. In epiſtola ad fratrem ſcripta, de officio gubernandæ provinciæ, cúm expoſuiſſet & docuiſſet, quod ſtatuerat: Sed neſcio, inquit, quo pacto ad præcipiendi rationem delapſa eſt oratio mea, cúm id mihi propoſitum initió non fuiſſet. Atque id eſt ſibi ipſi reſiſtere, & aliam occaſionem fingere. Sæpe veró etiam in orationibus celeritatem, iracundiam, contentionem adhibuit, quibus turbatum auditorem eó perduxit, quó voluit: quin ut Plutarchus recitat, publicé hac de re contra Numatium eloquentia ſua abſolutum, gloriatus eſt: Tune veró Numati, per te judicium illud effugiſti, non autem quód multas luci tenebras in judicio circunfudi? Audacia magnificé adhibita eſt in defenſione Rabirii perduellionis rei, cúm é populo Romano quidam Ciceroni reclamarent: Nihil, ait, me clamor iſte commovet, ſed conſolatur, cúm indicat eſſe quoſdam cives imperitos, ſed non multos: Nunquam mihi credite, populus Romanus hic, qui ſilet, Conſulem me feciſſet, ſi veſtro clamore perturbatum iri arbitraretur. Quantó jam levior eſt acclamatio? Quin continetis vocem, indicem ſtultitiæ veſtræ, teſtem paucitatis? Equidem παῤῥησία, quæ á Rhetoribus appellatur, nihil aliud eſt, quám

hæc audacia: denique omnes tropi ac figuræ elocutionis, omnes actionis gratiæ (quæ eſt Rhetorica integra, vera, & ſeparata á Dialectica) eó ſolúm ſpectant, ut ducatur hic moroſus & refractarius auditor, nec ob aliam cauſſam Rhetoricæ artes illæ obſervatæ ſunt, quám propter ejus contumaciam & perverſitatem. His igitur poſitis, intelligimus quemadmodũ methodus prudentiæ á philoſophis, poëtis, oratoribus inſtituta & tractata ſit, & cognoſcimus, ex eorum præceptis & exemplis, quãta ſit iſta prudentia: ſed multó magis cognoſcemus, é rebus quotidianis & hominũ negotiis, in quibus hæc inſinuatio callida (ſi quid ei, qui nolit, perſuadendum ſit) facilé principem locum obtinebit. Quamobrem Dialecticus, ſi aditus artificioſi & veri itineris occluſus ſit, aliam viam ſibi faciet vi ingenii & prudẽtiæ: & undique conquiret auxilia conſuetudinis & uſus, quoniam doctrinæ præſidiis deſtituitur: ac quoniã rectum curſum tenere non poteſt, velificationẽ mutabit, & quibus velis poterit, ſalvam & incolumen navem ad portum deducet: Atque ut Spartiatæ quondam occultis rapinis laudabantur, ſic, vel potiús infinitis partibus ampliús laudabitur, cúm ejuſmodi ſolertia conſenſum rebellis ac repugnantis animi meruerit.

Sequitur] Tranſitus fit ad methodum prudentiæ, quæ eſt diſpoſitio progrediẽs non á notioribus quidem natura & abſolutè, id eſt á generalibus & univerſalibus principiis, ut dictum eſt de artificioſa methodo, ſed

á

á rebus ad rationem perſonarum, locorum, temporum magis accommodatis: Ideoque appellatur á Rhetoribus diſpoſitio prudentiæ, quód magno in judicio & prudentia dicẽtis verſetur, ut videat in primis, quid deceat: quoniam non omni cauſſæ, nec auditori, nec loco, nec tempori congruit unum & idem genus docendi: acciditque perſæpe, ut judicium prudentiæ potiús quæratur, quám conſilium artis & doctrinæ. Hæc itaque tota feré videtur expers artis, ſi cum methodo doctrinæ conferatur: Illic certa diſpoſitione regula traditur, hic feré nulla certa & catholica, Quamobrem methodus artificioſa ad ſcientiam, methodus prudentiæ ad opinionem referenda eſt. *Quanvis hæc methodus*] Methodus prudentiæ nullam habet certam & ſtabilem & catholicam legem, qua perpetuó utatur: habet tamen aliquam ſimilem artis admonitionem, quæ appellatur ab Ariſtotelicis κρύψις, id eſt occultatio & inſinuatio. Quid igitur admonet κρύψις? perturbatum eſſe legitimum ordinem artificioſæ illius diſpoſitionis, ut inuſitata & obſcuriore via ducatur auditor eó, quó volumus. Methodus artificioſa præcipit, ut prima primis, media mediis, & ultima ultimis locis diſponantur: methodus prudentiæ contrá jubet á mediis incipere, & prima deinde ſubtexere: Illa initió proponit & partitur: hæc propoſitionis & partitionis lumina detrahit, nec partium explicationem via & ordine perſequitur: Illa plané & aperté rationes explicat: hæc interdum parabolis involvit, & ſimilitudinibus, quales deſcriptæ ſunt apud Platonem & Xenophontem inductiones Socraticæ.

Ac ſi perſona] Deſcriptio adverſæ perſonæ ſumitur ab adjunctis: adverſarius enim, quo cum agitur, aut imprudens eſt, aut callidus: ſi imprudens, protinus eſt rationibus & argumentis capiendus: ſin callidus, ſenſim ac diſſimulanter expugnandus & fallendus: Hæc præcepta Ariſtotelica ſunt, & ex octavo Topico collecta: & in Rhetorum libris docentur, ubi tractatur ratio affectuum movendorum. Hæc admonitio illuſtratur ex-

emplis philosophorum, poëtarum, & oratorum.

Socrates frequenter] Exemplum philosophicum est Socratis, qui cùm apud Platonem refellit sophistas, ut Thrasymachum, Gorgiam, Protagoram, & cæteros, non aperta & recta dispositionis via, sed occultis probationum quasi cuniculis incedit: ideoque ab iratis sophistis sæpe contumelioſé reprehenditur, appellaturque aliás torpedo, aliás Dædalus, aliás incantator: Meno Socratem vocat & incantatorem & torpedinem: καὶ νῦν, ὦ γ' ἐμοὶ δοκεῖς, τορπεύς με καὶ φαρμάττεις, καὶ ἀτέχνως κατεπᾴδῃς, ὥστε μᾶλλον ἀπορίας μεμονέναι· καὶ δοκεῖς μοι παντελῶς, εἰ δεῖ τι καὶ σκῶψαι, ὁμοιότατος εἶναι τό, τε εἶδος καὶ τἆλλα, ταύτῃ τῇ πλατείᾳ νάρκῃ τῇ θαλαττίᾳ. καὶ γὰρ ἅπτη τὸν ἀεὶ πλησιάζοντα καὶ ἀπτόμενον νάρκᾶν ποιεῖ. καὶ σὺ δοκεῖς μοι νῦν ἐμὲ τοιοῦτόν τι πεποιηκέναι νάρκᾶν. ἀληθῶς γὰρ, ἔγωγε καὶ πλεῦ ψυχὴν καὶ τὸ σῶμα νάρκῶ, καὶ οὐκ ἔχω, ὅ, τι ἀποκρίνωμαί σοι. Et nunc, ut mihi videris, præstigiis me decipis, veneficiis inficis, & aperté incantas: ita ut ambiguitatis sim plenus: videris quoque mihi prorsus (si quidem licet in te jocari) & forma, & aliis rebus, simillimus torpedini latissimo pisci maris: qui hominem sibi propinquantem & tangentem, membris & corpore stupidum reddit: & tu videris stuporem mihi nunc injecisse: nam & animo & corpore sic obstupui, ut quid tibi respondeam, non habeam. Euthyphro Socratem Dædalo comparat: Ἐμοὶ δὲ δοκεῖ σχεδόν τι τὰ αὐτοῦ σκώμματος ὦ Σώκρατες, δεῖσθαι τὰ λεγόμενα· τὸ γὰρ πεποιέναι αὐτοῖς τοῦτο καὶ μὴ μένειν ἐν ταυτῷ, οὐκ ἔγωγέ εἰμι ὁ ἐντιθεὶς· ἀλλὰ σύ μοι δοκεῖς ὁ Δαίδαλος. ἐπεὶ ἐμοῦ γε ἕνεκα, ἔμειναν ἂν ταῦτα οὕτω. Mihi quidem propemodum videntur ea, quæ dicis o Socrates, eadem dicacitate notanda esse: quòd enim illa nostra oberrant, neque sibi constant, non ego sum accusandus: sed tu mihi Dædalus videris: nam quod ad me attinet, illa sic constitissent & mansissent. Thrasymachus libro primo de Rep. Socratem nominat in sermonibus sycophantam & insidiatorem. *Poëta*] Tria sequuntur exempla poëtica, unũ Homeri, alterum Virgilii, tertiũ Terentii,

Terentii, ad illuſtrandam methodum prudentiæ: quæ ſibi non proponit rectum illum & legitimum ordinem ab univerſis & primis ad ſpecialia, ſed inverſo potiús & commutato utitur: idque conſultó & induſtria facit, quia hac ratione docendus ſit auditor, & quó volumus, deducendus. *Nec reditum*] Homerus non utitur exordio longé petito, velut Cyclicus poëta, qui reditum narrans Diomedis á bello Trojano, exorſus eſt ab interitu Meleagri fratris ejus: Nec Iliada orditur á concubitu Jovis cum Læda, unde nata eſt Helena, cauſſa belli Trojani: ſed á precibus Chryſæ ſacerdotis: Idemque Homerus auſpicatur Odyſſeam á conſilio Deorum, errantemque Ulyſſem deſcribit, non á littore Trojano primũ, ſed ab inſula Calypſus ad Phæacas, qui in convivio Alcinoi Regis narrat Phæacibus, quemadmodũ á Trojano littore ad Nympham uſque navigarit: tum poëta reliquam navigationem Ulyſſis á Phæacibus ad Itachã patriam ordine proſequitur. Unde conſtat Homerum in narrandis erroribus Ulyſſis non eſſe ſecutum ſeriem rerum & temporis, ſed á mediis exorſum fuiſſe, & medio loco, quæ prima erant, inſeruiſſe. *Sic Virgilius*] Virgilius veſtigiis Homeri inſiſtens, errantem Aeneam nõ excipit á litore Trojano, ſed primúm narrat quemadmodùm é Sicilia navigans, in Libyam tempeſtate compulſus & delatus fuerit: qui in convivio Didus Reginæ Carthaginenſiũ narrat à principio, ut Troja everſa fuerit, & quibus erroribus eó navigarit: Et quemadmodum Homerus bellum Trojanum morte Hectoris, ſic Virgilius bella Aeneæ, morte Turni finivit. *Sic comici*] Comici poetæ de induſtria res perturbatas & controverſas efficiunt in epitaſi, ut qui ſpectant & audiunt, ad exitum inopinatum perducantur: interdum etiam parte aliqua Comœdiæ, artem diſſimulant, fallendi auditoris gratia. Exemplum ſingulare eſt in Eunucho Terẽtii, ubi Thais meretrix ad fallendum Phædriam adoleſcentem, callidam inſinuationem & diſſimulationem uſurpat.

Prudentia methodi] Poſtremus locus continet præcepta Rhetorum & exempla oratorum, ex quibus intelligere poſſumus, quæ & qualis ſit methodus prudentiæ, & quantum in populari hominum uſu valeat. Rhetores jubent exordiri, ita ut auditorem præparemus, quó ſit nobis in cæteris partibus accommodatior: id autem fieri tribus maximé rebus, ſi benevolum nobis facimus, & docilem, & attentum: non quia iſta per totam actionem cuſtodienda nõ ſint, ſed quia in initiis maximè neceſſaria, per quæ in animum judicis, ut procedere ultrá poſſimus, admittimur. Itaque & digreſſiones in partibus orationis interponuntur ad excitandum judicem, & motus animorum in peroratione vehementiús excitantur, quæ in exordio leniores fuerant: de quibus lege Quintilianum libro quarto & ſexto. Ariſtoteles primo capite libri tertii Rhetoricorum ad Theodectẽ ita ſcribit: δίκαιον γὰρ αὐτοῖς ἀγωνίζεσθαι τοῖς πράγμασιν, ὥστε τἄλλα ἔξω τοῦ ἀποδεῖξαι περιεργία ἐστίν. ἀλλ' ὅμως μέγα δύνανται, καθάπερ εἴρηται, διὰ τὴν τοῦ ἀκροατοῦ μοχθηρίαν. Aequum ſiquidem eſt, eos rebus & argumentis certare: Itaque cætera, præter demonſtrationes, ſupervacua ſunt: attamen multúm poſſunt, ut dictũ eſt, propter auditoris improbitatem. Et capite decimo tertio ejuſdem libri duas tãtúm conſtituit neceſſarias partes orationis, πρόθεσιν καὶ πίστιν, propoſitionem & fidem: procœmium autem & epilogum negat ad docendum & demonſtrandum pertinere. *A quibus præterea*] Inſinuatio, ut ait Quintilianus libro quarto, in turpi genere cauſſæ ſurrepit animis maximé ubi frons cauſſæ non ſatis honeſta eſt, vel quia res ſit improba, vel quia ab hominibus parum probetur: aut ſi facie ipſa quoque premitur, vel invidioſa conſiſtẽtis ex diverſo patroni, aut patris, vel miſerabilis ſenis cæci, infantis. Idem Fabius capite quinto libri quarti docet fallendũ eſſe interea judicem, & variis artibus ſubeundum, ut aliud agi, quám quod nos petimus, putet: Nam eſt nonnunquam dura propoſitio, quam judex ſi providet, nõ aliter præformidat, quám qui ferrum Medici

dici,antequam curetur,aſpexit. *Nihilque*] Antonius apud Ciceronem libro ſecundo de Oratore,exemplo ſuo proponit ſingulare præceptum prudentiæ,ut in cauſſa ſi quid boni ſit,id ornetur atque amplificetur: ſi quid mali,id ſapienti diſsimulatione obruatur atque obtegatur: quod poſtremum declaratur quatuor exemplis Ciceronis,in ſecunda Agraria, in epiſtola ad Quintum fratrem de gubernatione provinciæ, in oratione pro Numatio,& in cauſſa Rabirii. *His igitur*] Peroratio concludit methodum prudentiæ nõ ſolum quibuſdam præceptis (qualia expoſuimus de crypſi) inſtrui, ſed multó magis uſu & exercitatione conformari. Ac *quoniam rectum*] Allegoria & ſimilitudo eſt á nautis, qui quemadmodum tempeſtate & flantibus ventis abrepti, mutant velificationem,ut ad portum,ſi nõ recto & brevi,ſaltem utili & ſalutari curſu contendant: ſic in docendo,ſi methodus doctrinæ propoſito nõ convenit, qua via & progreſsione poſſumus, ad explicationẽ rei propoſitæ perveniendum nobis eſt.

PERORATIO METHODI.

At veró judicium methodi ſeu doctrinæ, ſeu prudentiæ,ſummum rationis lumen eſt: in quo cæteri animantes non modó commune cum homine nihil habent,ut in judiçio enuntiationis habent, ſed homines ipſi inter ſe hac laude valdé differentes ſunt & diſſimiles: nam tametſi ſunt omnes ſyllogiſticæ rationis ſuapte natura participes, attamen perexiguus numerus eſt eorum, qui ea bene uti cogitent: atque etiam ex hoc tãtillo numero multó maior eſt paucitas eorum, qui vera methodo bene diſponere beneque judi-

care didicerint: itaque quantó belluis præſtant homines ſyllogiſmo, tantó homines ipſi præſtãt hominibus methodo: nec in ulla parte clariús humani ingenii divinitas relucet, quám in ſole hujus univerſi judicii. Verúm ut admonuimus in inventione, artis fructum exercitatione exprimi, ita nobis hic demum de tota Logica cogitandum eſt, non arte ſola, ſed multó magis artis meditatione & uſu artificem fieri: Quod Plato feré ſolúm Philoſophia tota perſequitur: ac feré nihil in inſtructione ullius artis occupatur, ſed ubique ac perpetuó ad artis opus & uſum adhortatur. Et certé (ut Ariſtoteles magiſtrum ſecutus veriſſimé dicit) regulas univerſales tantùm ſcire, ſingularem rerum uſum neſcire, non eſt abſoluté & actu ſcire: ſed in ſpecialibus exemplis offendi poteſt, quanvis generalis ſcientia teneatur: atque ad eandem ſententiam ait: Tum veró ex iiſdem & per eadem virtus omnis & generatur & corrumpitur: ſimiliter autem etiam ars. Etenim cithara pulſando, & boni & mali citharedi fiunt, eodemque modo architecti & artifices reliqui: bene namque ædificando, boni architecti fiunt, malé autem mali. Cumque magiſtri artis, diſcipulos ſuos operis effectores eſſe demõſtrant, tum ſeſe exiſtimant magiſterii munus expleviſſe: Secús ſi quis in arte quidem doctus ſit, in uſu autem indoctus, erit is (ait) Mercurius Paſſonis. Denique, non ſatis eſt ſcire, quid ſit virtus: ſed ut habeamus & utamur, eſt enitendum.

Qua-

Quapropter nemo ſe logicum putet, quia leges & regulas Logicæ didicerit in ſchola, & cum æqualib⁹ diſputaverit, ut magna ſtultitia vulgó arbitramur: ſed ut in omnibus artibus, etiam ſordidis, videmus ut tyro certo tempore obſervat & animadvertit, non ſolúm magiſtri præcepta, ſed multó magis exempla & opera: paulatimq; imitatur, & meditatione tandem exacto tyrocinii tẽpore, eximium aliquod ſpecimen artis exhibet, ut diligentiam ſuam comprobet, & magiſterii graduũ aſſequatur: deinde continuata multos annos exercitatione artis, & unicuique publicé demonſtrata induſtriæ ſuæ excellentia, nomen ac famam ſingularis in ſua profeſſione magiſtri conſequitur: Sic, ut veræ Logicæ laus obtineatur, non ſatis eſt de præceptis in ſchola argutari, ſed ea exercenda & tractanda ſunt in poëtis, oratorib⁹, philoſophis, id eſt, in omni ſpecie ingenii, virtutibus eorum ac vitiis conſiderãdis, & retexendis laudabilibus inventis & judiciis, primó ſcriptura & voce imitãdis, tum etiam æquandis vel ſuperandis, rebus omnibus tractãdis & diſputandis per ſe, nullaq; diſputationum alienarum habita ratione: cumque hic diſcipulus Logicus diligentia & aſſiduitate longi temporis, intelligentiam Logicæ confirmarit, tum ſe examini magiſterii liberé & conſtanter offerat: cumque tanti ſtudii fidem fecerit, in cathedram deducatur, & muneribus á Repub. huic virtuti propoſitis fruatur. Hæc gloria Dialecticæ ſic

adhibitæ & exercitatæ, Peripateticis proprié tribuitur: Ariſtotelis oratio, flumen aureum á Cicerone dicitur: at hoc aureum flumen ab hac exercitatione profluxit: Tyrtamus, diſcipulus Ariſtotelis appellatus eſt Theophraſtus á divinitate loquendi: at hæc loquendi divinitas, ab hac exercitatione manavit: Strato Theophraſti auditor, eloquentiſſimus habitus eſt: at hæc eloquẽtia ab hac exercitatione genita eſt: Lycon, Stratonis ſectator, unius præpoſitione literæ cognominatus eſt Glycon, id eſt ſuavis: at hæc dulcedo ab hac exercitatione expreſſa eſt: Laus eadem ex eadem cauſſa Phalereo tributa eſt, quód eſſet non ſolúm ſubtilis diſputator, ſed etiam dulcis orator. Quamobrem hæc exercitatio nobis cõplectenda eſt, ut eaſdem laudes conſequamur.

At verò] Generalis eſt operis concluſio, ubi præſtãtia logicæ methodi demonſtratur, & excitamur ad ſtudium & exercitationem dialecticæ virtutis: Argumentum præſtantiæ & dignitatis duplex eſt, & quód ſoli homines dialecticæ methodi participes ſint, & quód ex hominibus perpauci vera methodo diſponere & judicare didicerint. *Ut in judicio*] Diximus antea judicium enũtiationis propriæ & contingentis nobis eſſe cum beſtiis commune: Nam ut homines, ita beſtiæ judicare poſſunt communi ſenſu, hoc eſſe calidum aut frigidum, durum aut molle, album aut nigrum, &c. *Verúm*] Non ſolúm præcepta Dialecticæ artis cognoſcenda ſunt, ſed multó magis ad uſum referenda: fruſtra enim artes diſcuntur, niſi exerceãtur, & earum fructus percipiantur: quemadmodum Grammaticæ artis præcepta fruſtra & inutiliter á pueris ediſcerentur, niſi in exemplis excellẽtium poëtarum & oratorum imitandis, itemque in omni uſu

ni uſu ſermonis exercerentur. Caput itaque hujuſce cohortationis eſt, hominem non ſola artis cognitione, ſed multó magis exercitatione Logicum effici: quod confirmatur á genere, atque ita breviter concludi poteſt:

Omnes artes præcipuam laudem ex uſu & opere aſſequuntur:

Dialectica eſt ars:

Dialecticæ igitur præcipua laus in uſu & opere cernitur.

Propoſitio ſyllogiſmi confirmatur authoritatibus Platonis & Ariſtotelis. Tota Platonis philoſophia ad philoſophiæ potiús exercitationem & uſum cohortatur quám leges ejus aut regulas inſtruit: ſic libri de Rep. educationem civitatis, non leges informant: & libri de Legibus, magnã partem in eadem re verſantur, quibus modis, & quibus in rebus virtus ſit exercenda: imó veró Socrates diſputat totam philoſophiam nihil eſſe aliud, quám μεταστροφὴν καὶ περιαγωγὴν, converſionem atque circunductionem, qua animus cõvertitur ad id intuendum & imitandum, quod & ſua ſponte & doctrinæ beneficio intueri atque efficere poſsit. Idem Socrates cõtendit in Gorgia eum, qui veram ſcientiam nactus ſit, anté didiciſſe & exercuiſſe & multa exempla edidiſſe, atque etiam opera multa egregia perfeciſſe: Calliclis autem opera nullum factum eſſe meliorem, nullum Periclis, Cimonis, Miltiadis, Themiſtoclis. Quare illos viros bonos non fuiſſe, neque virtutis & juſtitiæ civilis ſcientiam aut facultatem habuiſſe. *Ariſtoteles*] Ariſtoteles ait primo capite libri primi de Demonſtratione, aliquid univerſaliter ſciri poſſe, quod ſpecialiter ignoretur: in uſuque rerum ſingularium, hominem rudem eſſe poſſe, qui univerſalia artis præcepta didicerit: ut, Poſſum generatim intelligere omnem dualitatem, parem eſſe, & aliquam tamen dualitatem ignorare: lege etiam caput viceſimumprimum libri ſecundi priorum Analyticorum. *Atque ad eandem*] Verba Ariſtotelis ſunt nono libro Philoſophiæ: διὸ καὶ δοκεῖ ἀδύνατον εἶναι

οἰκοδόμον εἶναι, μὴ οἰκοδομήσαντα μηδὲν. ἢ κιθαριστὴν μηδὲν κιθαρίσαντα. διὸ ὥσπερ οἱ διδάσκοντες ἐνεργοῦντα ἐπιδείξαντες οἴονται τὸ τέλος ἀποδεδωκέναι. εἰ γὰρ μὴ οὕτω γίγνεται, ὁπάσωνος Ἑρμῆς ἔσται. ἄλλος γὰρ ἡ ἐπιστήμη, εἰ ἔσω, ἢ ἔξω, ὥσπερ κἀκεῖνος. Itaque etiam fieri non poteſt, ut ſit ædificator qui nihil ædificarit: neque citharista, qui nihil cithara cecinerit: Ideoque quemadmodum doctores, cùm diſcipulum aliquid agentem oſtenderint, putant ſe ſummam perſolviſſe: Nam ſi ſecús fuerit, Paſſonis Hermes erit: incertumque fuerit, intuſne an foris ſcientia ſit, quemadmodum & ille Hermes. Erat autem illa Mercurii ſtatua, ſicut Alexander docet, ita juncta copulataque ut nihil inæquale aſperumve magis quám in ſpeculo ſentiretur: Itaque hac ratione Mercurius intus eſſe videbatur: at nulla commiſſura cernebatur: Itaque hac etiam ratione videbatur foris eſſe, nec intus incluſus.

Denique] Poſtremum teſtimonium Ariſtotelis ſumitur é libro nono Ethicorũ ad Nicomachum filium, ubi actio virtutis commendatur: οὐκ ἔστιν ἐν τοῖς πρακτοῖς τέλος, τὸ θεωρῆσαι ἕκαστα καὶ γνῶναι, ἀλλὰ μᾶλλον τὸ πράττειν αὐτά. οὐδὲ δὴ περὶ ἀρετῆς ἱκανὸν εἰδέναι· ἀλλ' ἔχειν καὶ χρῆσθαι πειρατέον. In rebus agendis finis non eſt ſingulas noſſe, ſed eas potiús in actum deducere: Neque ſané ſatis eſt ſcire, quid ſit virtus: ſed ut eam aſſequamur, & ea utamur, enitendum eſt. Quod ſingulare dogma, generale fieri poteſt, ut omnibus artibus conveniat, quarum fructus communis in uſu, tractatione, & exercitatione poſitus eſt. *Artibus etiam ſordidis*] Artes mechanicæ & quæſtui inſervientes, uſu & opere vel maximé probantur: non enim appellamus bonum piſtorem, qui norit regulas & præcepta bene pinſendi, ſed qui bene pinſat: neque bonum ſutorem, qui ſciat quemadmodum oporteat calceos ſuere, ſed qui bene calceos ſuat: eademque ratio valet in cæteris. Atque hoc loco concluſio ſyllogiſmi illuſtratur á ſimilibus: Quemadmodum in ſordidis artibus non ſolúm cognitio artis, ſed exercitatio & publica approbatio requiritur, ſic in arte Logica perficienda

ciendum eſt, non ſolúm ut de præceptis argutemur, ſed multó magis ut ea variis modis legendo, ſcribendo, dicendo, imitando exerceamus. *Hæc gloria*] Inductio illuſtrium philoſophorum adhibetur ad illuſtrandam & amplificandam proximam concluſionem: Peripatetici enim, Dialecticæ exercitationis gloria & laude imprimis floruerunt, ut Ariſtoteles, Theophraſtus, Strato, Lycon, Demetrius Phalereus: de quibus lege Diogenem Laertium, & Ciceronem in libris Oratoriis.

FINIS.

ERRATA.

Pag. 15. *l.* 10. *acceßiſſe.* *p.* 30. *l.* 21. ὁρμὴν. *p.* 33. *l.* 3. λίθος. *p.* 40. *l. ult. vis ejus. p.* 51. *l.* 7. *affectione. p.* 52. *l.* 1. *liber ibid. l.* 29. *affectionem. ibid. l.* 30. *decimi. p.* 61. *l.* 32. οὐκ. *ibid l* 14. τὸ. *p.* 65. *l.* 6 ταυτὰ. *p.* 69. *l.* 14. *queruntur. p.* 73. *l.* 14. δημοχορικοὶ. *p.* 75. *l.* 5 *ſit eliciendum. p.* 77. *l.* 22. *notationes. ibid. l* 34. *lege. p.* 79. *l.* 6. *auferri. p.* 81. *l. penult.* ἀντιδηρυμένου. *p.* 109. *l.* 2. φωνῆς. *p.* 126. *l.* 7. *verum. p.* 181. *l.* 11. Omnis *p.* 182. *l.* 19. ὑπάρχον. *p.* 185. *l.* 7. *non animal. p.* 192. *l.* 22. *actа. p.* 197. *l.* 10. *animal. p.* 205. *l.* 6. *viceſimo. p.* 212. *l.* 25. *deligendo.*

BRITAN
NICVM

Cambridge University Library